

De Dione Chrysostomo et Aristotele critica et exegetica

Ivo Bruns


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN


UNIVERSITY OF MICHIGAN

1892.

DIEI NATALIS

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI II

GERMANORUM IMPERATORIS REGIS BORUSSIAE

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO

AB ELOQUENTIAE PROFESSORE PUBLICE CONSTITUTO

FRIDERICO BLASS

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXVII MENSIS IANUARII ANNI MDCCCLXXXXII

IN MAGNA AULA HORA I POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM

UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS.

INSUNT IVONIS BRUNS DE DIONE CHRYSOSTOMO ET ARISTOTELE CRITICA ET EXEGETICA.

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA
EX OFFICINA SCHMIDTII ET KLAUNIGII
1892.

I.

Mirabilem de mundo fabulam, quae legitur in Dionis Prusaei oratione XXXVI 43 sq. Hagenus, qui nuper de Dione theologo egit,[1]) postquam cum Meinersio iure negavit ex Zoroastris doctrina eam haustam esse, ex Platone contendit et ex Stoicis esse confictam. Atque usus est Dio sine dubio et Platone et Stoicis. Sed ex illo tantummodo colores quosdam mutuatus ad Stoicorum doctrinam omne fabulae argumentum tam strenue exegit, ut in hac quidem oratione germanus Chrysippi assecla videatur esse Dio. Qui cur Zoroastren mythi auctorem sive ioco sive serio mentitus sit nunc non vacat quaerere, sed singulas fabulae partes brevi commentario persequar. Apparebit hanc allegoriam eo tantum ab Heracliti Cornuti aliorum differre, quod ad continuam narrationem Dio fabulare argumentum redegit.

Dionem interpretaturus saepius non potui coniectandi aleam non suscipere; quamquam non fugit me cautiorem me futurum fuisse, si copias expectassem, quas H. de Arnim nunc Dioni parat, qui in novissimo Hermae volumine docte disseruit[2]) de historia scriptorum Dioneorum. Libenter ab hoc docebor, ubi unius Meermanniani codicis notitia in errores me induxit. Sed non sanabunt libri omnia Dionis vulnera, quorum si mihi contigit ut paucis mederer, symbolam ille non repudiabit ad operam maxime salutarem, quam ipse Dioni praestabit.

Hac igitur inde a § 43 Dio utitur imagine, ut universum nobis repraesentet: currus est mundus cuius gubernator quattuor equos currum vehentes frenis coercet. Equos elementa esse neminem potuit fugere i. e. aethera aerem aquam terram. Aethera enim non ignem primo substituemus, cum § 43—44 non de igni per omne disperso agatur, sed de supremo orbe aetherio. Quadrigarius autem qui currui insistit mens est sive deum sive spiritum appellare mavis vim mundi gubernatricem. Memineris enim ne Stoicos quidem accurate inter deum et primarium illud elementum distinguere. Dionis igitur Deo gubernatori et separato ab equis equus primus sacer est, (*εἶναι γὰρ δὴ τοῦ ξύμπαντος μίαν ἀγωγήν τε καὶ ἡνιόχησιν ὑπὸ τῆς ἄκρας ἐμπειρίας τε καὶ ῥώμης γιγνομένην* § 42. *φασὶ τῶν ἵππων τὸν πρῶτον διαφέρειν κάλλει .. αὐτοῦ Ζηνὸς ἱερόν* § 43) et idem sunt et equus et deus (*εἶναι γὰρ αὐτὸν ἤδη τηνικάδε ἁπλῶς τὴν τοῦ ἡνιόχου καὶ δεσπότου ψυχήν, μᾶλλον δὲ αὐτὸ τὸ φρονοῦν* § 54). Noli autem in sequentibus ea comparationis parte turbari quae est de equis. Hanc enim credas ipsum Dionem vituperare, cum audaciorem eam esse dicat et alienam a Graecorum more cum persuasione fabulantium. Removeamus igitur necesse est, ut sensum Dionis assequamur, equos, quibus illi rem quasi velare placuit. Atqui primum videamus de mundi parte caelesti sive aetheria. De hac apud Stobaeum de Chrysippo[3]) breviter haec docet Didymus: *τοῦ δὲ κατὰ τὴν διακόσμησιν λεγομένου κόσμου τὸ μὲν εἶναι περιφερόμενον*

[1]) P. Hagen Quaestiones Dioneae Kiel 1887 p. 16 sq.

[2]) H. de Arnim über die Schriftensammlung Dios von Prusa. Hermes XXVI, 366 sq.

[3]) Ecl. 1,21 p. 184,12 Wachsmuth, 465,17 Diels Doxogr.

R. H.

περὶ τὸ μέσον, τὸ δὲ ὑπομένον· περιφερόμενον μὲν τὸν αἰθέρα· porro de eadem legimus *τὸν αἰθέρα ἀραιότατον ὄντα καὶ εἰλικρινέστατον.* Nunc conferas, quae de equo primo Dio (§ 43) praedicet:

> *φασὶ τῶν ἵππων τὸν πρῶτον ἄνωθεν ἀπείρῳ διαφέρειν κάλλει τε καὶ μεγέθει καὶ ταχυτῆτι ἅτε ἔξωθεν περιτρέχοντα τὸ μήκιστον τοῦ δρόμου, αὐτοῦ Ζηνὸς ἱερόν· πτηνὸν δὲ εἶναι, τὴν δὲ χρόαν λαμπρόν, αὐγῆς τῆς καθαρωτάτης.*

habes et physicum et poetam, de eodem dicentem utrumque. Nimirum fulget aether, ab orbe progredienti ad centrum primus est, extrinsecus ceteras mundi partes includit; magnitudine igitur eas superat, nec non celeritate, nam foris circumvolat. Purissimus est. Pergit Dio:

> *τὸν δὲ Ἥλιον ἐν αὐτῷ καὶ τὴν Σελήνην σημεῖα προφανῆ ὁρᾶσθαι, ὥσπερ οἶμαι καὶ τῶνδε τῶν ἵππων ἐστὶ σημεῖα, τὰ μὲν μηνοειδῆ, τὰ δὲ ἀλλοῖα.* (§ 44) *ταῦτα δὲ ὑφ' ἡμῶν ὁρᾶσθαι συνεστραμμένα, καθάπερ ἐν αὐγῇ λαμπρᾷ φλογὸς σπινθῆρας ἰσχυροὺς διαθέοντας. ἰδίαν δὲ κίνησιν ἔχειν καθ' αὑτά· καὶ τἄλλα ἄστρα δι' ἐκεῖνον φαινόμενα καὶ ξύμπαντα ἐκείνου πεφυκότα μέρη τὰ μὲν περιφέρεσθαι σὺν αὐτῷ μίαν ταύτην ἔχοντα κίνησιν, τὰ δὲ ἄλλους θεῖν δρόμους. τυγχάνειν δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ταῦτα μὲν ἴδιον ἕκαστον ὀνόματος· τὰ δὲ ἄλλα κατὰ πλῆθος ἀθρόα, διανενεμημένα εἴς τινα σχήματα καὶ μορφάς.*

Quid his sibi velit Dio iterum illustrabit Chrysippus [1]): *τὸ δὲ περιφερόμενον αὐτῷ ἐγκυκλίως αἰθέρα εἶναι, ἐν ᾧ τὰ ἄστρα καθίδρυται τά τε ἀπλανῆ καὶ τὰ πλανώμενα, θεῖα τὴν φύσιν ὄντα καὶ ἔμψυχα καὶ διοικούμενα κατὰ τὴν πρόνοιαν.* Hoc apertum est: ut manifesta aetheris indicia videntur in equo sol et luna, i. e. in orbe aetherio infixae sunt stellae. Sequentia vero cruce notavi. Quos enim equos verbis *τῶνδε τῶν ἵππων* significari putas? De secundo tertio quarto equo Dionis nondum disputatur. Intellegendi igitur sunt equi quibus utuntur Borysthenitae. Sed nonne ineptum est et alienum a gravitate huius fabulae caelum stellatum comparari cum pelle equina maculis conspersa? Nonne ineptior distinctio quae fit inter varia harum macularum genera? Gravissimum autem est, quod et verba *τὰ μὲν μηνοειδῆ, τὰ δ' ἀλλοῖα* non possunt intellegi nisi de stellis dicta, et flagitant sequentia *(ταῦτα δὲ ὑφ' ἡμῶν ὁρᾶσθαι)*, ut in praecedentibus dictum sit de stellis. Latet autem, ni fallor, in *ΤΩΝ ΙΠΠΩΝ* hoc: *τῶν ἄστρων*, quod lenissime una tantum litterula addita restitui potest. Verisimile autem est, scripsisse Dionem *τῶν ἄστρων <ἁπάντων>* Corrupto enim substantivo non mirum est etiam vicina labem traxisse. Subrepsit id vocabulum, quod obversabatur menti librariorum (*ἵππων*) simili modo, quo § 42 *εἶπον* corrumpebant in *ἵππον*. Ceterum varias esse stellarum formas Dio fortasse indicavit atque moneo dissensisse de hac re philosophos, velut Cleanthes conis eas similes esse dixit non globis;[2]) sed ex hac nimis brevi adnotatione nil certi concludam. Sequentia autem nunc intellegimus. *ταῦτα* enim stellas significat praeter lunam et solem, quarum genuinam formam contractam videmus, ita ut flammae alicuius scintillae nobis videantur claro splendore percurrentes. *διαθέοντας* tantum poterit aliquis suspicari ortum esse ex *ἀεὶ θέοντας*. Nam semper currere stellas *(τοὺς ἀστέρας ἀεὶ θέοντας)* apud Plutarchum Stoici [3]) monent. Dubitari porro potest, de quibus stellis dicta sint verba *ἰδίαν δὲ κίνησιν ἔχειν καθ' αὑτά*, utrum de omnibus stellis errantibus, an de sole tantum lunaque (notum enim est proprio motu septem praeter *τὰ ἀπλανῆ* uti stellas.) Quae si ad omnia huius generis sidera referremus consectarium esset, ut verbis *καὶ τἄλλα ἄστρα δι' ἐκεῖνον κτλ.* transitus fieret ad astra quae

[1]) ib. p. 185,5 W. 466,4 D.

[2]) cf. Plutarch. de plac. phil. 2,14. Diels Doxogr. 344a3 ib. b3

[3]) cf. Plutarch de plac. phil. 1,6. Diels Doxogr. 296a 9.

fixa dicunt. Atqui sequitur hoc ipso enuntiato distinctio inter ea sidera, quae cum orbe aetherio moventur, eaque quae proprio motu feruntur. Igitur non transit scriptor his verbis ad *τὰ ἀπλανῆ*, sed de omnibus stellis disputat. Vides autem in sententia illa *ἰδίαν κτλ.* non de septem, sed de duarum errantium motu agi. Quare inde a verbis *ὥσπερ οἶμαι* usque ad *ἰσχυροὺς διαθέοντας* omnia parentheseos uncis circumscribamus.

De aeris aquae terrae descriptione brevis ero quippe quae vix egeat interpretatione. Aerem natura obscurum esse et sole tantum illustrari secundum Stoicos Plutarchus[1] tradit. Quare Heraclito c. 24 Allegor. Homer. Hades est (*Ἀιδωνέα δὲ τὸν ἀέρα)*. Neque vero sibi constat ille, cum mox ipse quoque Iunonem aera vocet (c. 25) consentiens cum Dione cuius alter equus, cui Iunoni nomen est, pelle nigra ornatus est (§ 45):

> *δεύτερος δὲ μετ' ἐκεῖνον ἁπτόμενος αὐτοῦ καὶ πλησιώτατος Ἥρας ἐπώνυμος, εὐήνιος καὶ μαλακός, πολὺ δὲ ἧττον κατά τε ῥώμην καὶ τάχος· χροιὰν δὲ τῇ μὲν αὐτοῦ φύσει μέλας, φαιδρύνεται δὲ ἀεὶ τὸ καταλαμπόμενον Ἡλίῳ· τὸ δὲ σκιασθὲν ἐν τῇ περιφορᾷ τὴν αὐτοῦ μεταλαμβάνει τῆς χρόας ἰδέαν.*

facilis est rectori atque mollis hic equus, quia nunquam, ut primus tertiusque contra gubernatorem surgit. Sequitur aqua, cuius apud omnes Neptuni nomen constat (§ 46):

> *τρίτος Ποσειδῶνος ἱερός. τοῦ δευτέρου βραδύτερος*

Cui si addit Dio haec:

> *τούτου δὲ μυθολογοῦσιν εἴδωλον οἱ ποιηταὶ γενέσθαι παρ' ἀνθρώποις ἐμοὶ δοκεῖν ὅντινα ὀνομάζουσι Πήγασον· καί φασιν ἀνεῖναι κρήνην ἐν Κορίνθῳ χαράξαντα τῇ ὁπλῇ*

consentit de non plane intermortua huius equi apud Graecos memoria cum Cornuto, qui postquam de Neptuno dixit addit[2]): *τοῦ δὲ αὐτοῦ λόγου ἔχεται καὶ τὸ Ποσειδῶνος υἱὸν εἶναι τὸν Πήγασον ἀπὸ τῶν πηγῶν ὠνομασμένον.* Agmen claudit terra, quae (Vesta Dioni aliis Ceres) etsi *ὑπομένει ἐν τῷ μέσῳ*[3]) dira imaginis necessitudine ipsa quoque equus est:

> *ὁ δὲ δὴ τέταρτος εἰκάσαι πάντων ἀτοπώτατος στερεός τε καὶ ἀκίνητος, οὐχ ὅπως πτερωτός, ἐπώνυμος Ἑστίας.*

Quod vides quantopere sentiat Dio absurdum esse. Sed addit:

> *ὅμως δὲ οὐκ ἀποτρέπονται τῆς εἰκόνος, ἀλλὰ ἐνεζεῦχθαί φασι καὶ τοῦτον τῷ ἅρματι, μένειν δὲ κατὰ χώραν χαλινὸν ἀδάμαντος ἐνδακόντα.*

Sequitur singulorum elementorum sive mundi regionum descriptionem universi adumbratio eiusdem imaginis vestigia arte premens (§ 47):

> *συνερείδειν δὲ πανταχόθεν αὐτῷ τοῖς μέρεσι, καὶ τὼ δύο τὼ πλησίον ὁμοίως πρὸς αὐτὸν ἐγκλίνειν, ἀτεχνῶς ἐπιπίπτοντε καὶ ὠθουμένω· τὸν δὲ ἐξωτάτω πρῶτον ἀεὶ περὶ τὸν ἑστῶτα ὡς νύσσαν φέρεσθαι.*

Neque te fugiet hic quoque poetarum more Chrysippi doctrinam circumscribi, secundum quam in medio terra iacet *πυκνότατον ὑπέρεισμα*. Conferas porro ex eadem apud Stobaeum de Chrysippo narratione: *περὶ ταύτην (τὴν γῆν) τὸ ὕδωρ περικεχύσθαι σφαιρικῶς.. ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος τὸν ἀέρα ἐξῆφθαι.. καὶ περικεχύσθαι σφαιρικῶς; ἐκ δὲ τούτου τὸν αἰθέρα .. τὸ δὲ περιφερόμενον αὐτῷ ἐγκυκλίως αἰθέρα εἶναι ...*

[1]) cf. Plutarch de Stoic. rep. c. 43.

[2]) cf. Cornuti theol. graec. ed. Lang p. 44, 10

[3]) cf. p. 3 adn. 3.

In terra igitur undique circumfusi haerent equorum secundus et tertius quasi ruentes in eam, uterque alter cum altero invicem cohaerens *(ὠθουμένω)*, aether autem velut in stadio metam circumvolans currus circum tres posteriores equos circumfertur.

Hactenus mundum habemus creatum, in varias formas bene dispositum, pace fruentem. Sed negata est a fato sempiterna mundi quies. Turbatur certis temporibus. Turbantur igitur equi Dionis turbatique legentibus turbas movent. Duo autem belli inter elementa gerendi sunt genera, alterum quo non mutatur universi ratio, alterum quo ipse mundus labefactatus corruit. Illud inde a verbis *ἤδη δέ ποτε* usque ad *εἰς δέον καθιστάμενος* (47—51) describitur, hoc sequitur § 51 inde a verbis *πάλιν δὲ ἑτέραν*. Illa inter elementa contentione partes mundi sive diluviis sive incendiis fatalibus delentur, hoc mundus ipse concrematur ut novus existat.

Latet autem vitium in verbis quibus transitus fit a priore parte ad alteram (§ 50):

> *εἶναι γὰρ ὅμοιον, ὥσπερ ὅταν ἅρματος ἡνίοχος τῶν ἵππων τινὰ κολάζῃ χαλινῷ σπάσας ἢ κέντρῳ ἁψάμενος· ὁ δὲ ἐσκίρτησε καὶ ἐταράχθη παραχρῆμα εἰς δέον καθιστάμενος. μίαν μὲν οὖν ταύτην ἡνιόχησιν ἰσχυράν, οὐχ ὅλου φθειρομένου τοῦ παντός. πάλιν δὲ ἑτέραν τῆς τῶν τεττάρων κινήσεως καὶ μεταβολῆς, ἐν ἀλλήλοις μεταβαλλομένων καὶ διαλλαττόντων τὰ εἴδη, μέχρις ἂν εἰς μίαν ἅπαντα συνέλθῃ φύσιν ἡττηθέντα τοῦ κρείττονος.*

Similem esse dicit Dio ignis tumultum a deo coercitum equo a gubernatore castigato. Tum vero improprie pergitur *ὁ δὲ ἐσκίρτησε κτλ.* i. e. „ille autem exsultabat et turbabatur dum in officium reducitur.“ Immo: castigatur quia exsultabat et turbabatur, et castigando subito in officium reducitur. Scribas igitur *ὅταν . . ἡνίοχος τῶν ἵππων τινὰ κολάζῃ . . κέντρῳ ἁψάμενος, ὃ ς ἐσκίρτησε καὶ ἐταράχθη, παραχρῆμα εἰς δέον καθιστάμενον*.

Graviore vulnere laborant sequentia, quod non sanaverunt aut Reiskius aut Reiskio succurrens Emperius cum post *οὖν* insererent *λέγουσι*. Fac enim scriptum esse *μίαν μὲν οὖν <λέγουσιν> ταύτην ἡνιόχησιν ἰσχυρὰν κτλ.* quid lucrabimur? Hoc diceret Dio: „hanc unam dicunt esse fortem currus gubernationem, qua haud plane deleatur mundus“, cui oppositum esset *πάλιν δὲ ἑτέραν κτλ.* i. e.: „alteram autem dicunt eam quae eqs.“ Apertum est eum qui ita loquitur inter duo gubernationis genera distinguere: priore partes mundi delentur, mundus servatur, altera mundus ipse perit. Nolo urgere conflagrationem parum apte gubernationis speciem nominari. Graviora haec sunt. Primum excluditur hac distinctione a gubernandi generibus ille status mundi, quo potissimum gubernari videtur, eum dico quo quiete ac pace fruitur universum. Deinde ad *ἑτέραν* ne suppleri quidem potest *ἡνιόχησιν*. Neque enim sane cogitantis est ita loqui: aliam *ἡνιόχησιν* dicunt, tamen etiam hunc motum non verentur — *ἡνιόχησιν* dicere. Vides undique suspicionis causas concurrere contra verba *ἰσχυρὰν ἡνιόχησιν*, quae mihi videntur e margine (in quo ad praecedentium sententiarum summam comprehendendam addita erant) in textum irrepsisse atque genuinam lectionem eiecisse. Causam exposuit Dio leviorum discidiorum, quae inter elementa existere solent eo tempore, quo unum contra reliqua pugnat. Pergit ad maiora: causam explicabit *τῆς τῶν τεττάρων κινήσεως καὶ μεταβολῆς*. Atque causae vocabulum quod desideramus deprehendisse mihi videor in *μίαν*, quod corruptum esse videtur ex *αἰτίαν*. Temptavi igitur *αἰτίαν μὲν οὖν ταύτην <εἶναι ταραχθέντος> οὐχ ὅλου φθειρομένου τοῦ παντός*. Ita vel simili modo a levioribus ruinis progressus esse videtur Dio ad conflagrationis descriptionem, cuius causam extrema verba reddunt. In eo enim posita est, quod certis temporibus sibi cedunt elementa, usque dum unum scil. ignis, quippe quod fortissimum sit, reliquum sit. Nam *τὰ μέρη τοῦ κόσμου φθαρτά· εἰς ἄλληλα*

γὰρ μεταβάλλει, ut legimus apud Diogenem Laertium.[1]) Ex quo duo corrigas verba quae non intellego *ἐν ἀλλήλοις.* Scribendum videlicet *ἐς ἀλλήλους μεταβαλλομένων* (scil. *τῶν ἵππων*).

Iam vero omnis haec de quattuor equorum dissolutione atque in unum conformatione expositio *ὑπερβάλλει* quidem *πᾶσαν ἀτοπίαν*, consentit vero — si equis deos substitueris — cum Stoicis. Dio enim si narrat (§ 52):

> *εἶναί γε μὴν τὸ τοιοῦτο μὴ καθάπερ ἀψύχων πλασμάτων ἔξωθεν τοῦ δημιουργοῦ πραγματευομένου καὶ μεθιστάντος τὴν ὕλην, αὐτῶν δὲ ἐκείνων γίγνεσθαι τὸ πάθος, ὥσπερ ἐν ἀγῶνι μεγάλῳ τε καὶ ἀληθινῷ περὶ νίκης ἐριζόντων· γίγνεσθαι δὲ τὴν νίκην καὶ τὸν στέφανον ἐξ ἀνάγκης τοῦ πρώτου καὶ κρατίστου τάχει τε καὶ ἀλκῇ καὶ τῇ ξυμπάσῃ ἀρετῇ, ὃν εἴπομεν ἐν ἀρχῇ τῶν λόγων ἐξαίρετον εἶναι Διός.*

vide Iovem reliquos deos devorantem, de qua re Plutarchus[2]) Stoicos cavillatur: *λέγει γοῦν Χρύσιππος . . . ὅταν οὖν ἐκπύρωσις γένηται, μόνον ἄφθαρτον ὄντα τὸν Δία τῶν θεῶν, ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὴν πρόνοιαν.* Simul autem his verbis indicat Plutarchus quomodo offensi ipsi Stoici hac absurditate dei deos comburentis studuerint eam fugere. Atque eadem de causa Dio quoque cum Stoicis non sibi constat. Verbis enim, quae supra exscripsi, deum nobis proponit deos conflagrantem. Antea (§ 51) vero mythum ita variaverat ut ipse creator quattuor equos in unum solveret:

> *οἷον εἴ τις θαυματοποιὸς ἐκ κηροῦ πλάσας ἵππους, ἔπειτα ἀφαιρῶν καὶ περιξύων ἀφ' ἑκάστου, προςτιθεὶς ἄλλοτε ἄλλῳ, τέλος δὲ ἅπαντας εἰς ἕνα τῶν τεττάρων ἀναλώσας, μίαν μορφὴν ἐξ ἁπάσης τῆς ὕλης ἐργάσαιτο.*

Sed non solum sequitur Stoicos Dio, sed etiam contra obtrectatores defendit Chrysippum. Cui obiecerant nimirum adversarii deos illos qui adposito igni ut cera dilabuntur. Iterum Plutarchum[3]) inspicias: *αὐτοὶ μέγα βοῶντες ἐν τοῖς περὶ θεῶν . . γράμμασιν διαῤῥήδην λέγουσι τοὺς ἄλλους θεοὺς ἅπαντας εἶναι γεγονότας καὶ φθαρησομένους ὑπὸ πυρὸς τηκτοὺς . . ὥσπερ κηρίνους ἢ καττιτερίνους ὄντας.* Haec ipsa crimina Dio occupat pergens (§ 53):

> *τοῦτον γὰρ ἅτε πάντων ἀλκιμώτατον καὶ φύσει διάπυρον ταχὺ ἀναλώσαντα τοὺς ἄλλους, καθάπερ οἶμαι τῷ ὄντι κηρίνους, ἐν οὐ πολλῷ τινι χρόνῳ, δοκοῦντι δὲ ἡμῖν ἀπείρῳ πρὸς τὸν ἡμέτερον αὐτῶν λογισμόν, καὶ τὴν οὐσίαν πάντων πᾶσαν εἰς αὑτὸν ἀναλαβόντα πολὺ κρείττω καὶ λαμπρότερον ὀφθῆναι τοῦ πρότερον, ὑπ' οὐδενὸς ἄλλου θνητῶν οὐδὲ ἀθανάτων, ἀλλ' αὐτὸν ὑφ' αὑτοῦ, νικηφόρον γενόμενον τοῦ μεγίστου ἀγῶνος.*

Quibus verbis perfectam conflagrationem describi sponte intellegitur. Triumphat enim aetherius equus solus relictus reliquorumque vires in se complexus. Neque iam deus restat, neque homo, qui eum intueri possit. Se ipse contemplatur. Nunc vero interpretatione egent verba quae huic descriptioni addidit scriptor satis memorabilia

> *στάντα δὲ ὑψηλὸν καὶ γαῦρον, χαρέντα τῇ νίκῃ, τόπον τε ὡς πλεῖστον καταλαβεῖν καὶ μείζονος χώρας δεηθῆναι τότε ὑπὸ ῥώμης καὶ μένους.*

Non extat enim diligentiae testimonium luculentius, qua Dio cosmologiam Stoicorum reddere studuerit, qui ne a subtilioribus quidem philosophi sermonis proprietatibus abhorruit. *τόπος* enim non idem est atque *χώρα.* Nam ille locum solido expletum significat, haec vacuum ex parte occupatum, cum *κενὸν*

---

[1]) cf. VII, 141 p. 189,36 Cobet.
[2]) cf. Plutarch. adv. Stoicos c. 36
[3]) cf. Plutarch. adv. Stoicos c. 31

inane vacuum sit. Conferas Sextum Empiricum[1]): *οἱ Στωικοί φασι κενὸν μὲν εἶναι τὸ οἰόντε ὑπὸ ὄντος κατέχεσθαι μὴ κατεχόμενον δέ . . ., τόπον δὲ διάστημα ὑπὸ ὄντος κατεχόμενον καὶ ἐξισαζόμενον τῷ κατέχοντι αὐτόν, . . χώραν δὲ διάστημα κατὰ μέν τι κατεχόμενον ὑπὸ σώματος, κατὰ δέ τι ἀκαθεκτούμενον.* Iam vero negabant Stoici in mundo creato inesse inane, infinitum vero circum fines mundi iacere, ita ut alterum ab altero discretum sit. Tantummodo in conflagratione extra mundi fines exspatiari ignem. De qua re videas Pseudophilonis de aeternitate libellum[2]): *ὃ μοι δοκοῦσι καὶ οἱ Στωικοὶ προιδόμενοι κενὸν ἄπειρον ἐκτὸς τοῦ κόσμου τῷ λόγῳ καταλιπεῖν, ἵν' ἐπειδὴ χύσιν ἀπέραντόν τινα ἔμελλε λήψεσθαι μὴ ἀπορῇ τοῦ δεξομένου χωρίου τὴν ἀνάχυσιν.* Dionis igitur equus si, postquam reliquos consumpsit, maximum locum *(τόπον)* occupat maioris spatii *(χώρας)* cupidus, aperte mihi videtur ad hanc doctrinae partem scriptor respicere.

Etiam in sequentibus de conflagratione disputavit Dio sed non eis verbis, quae apud Emperium leguntur (§ 54):

> *Κατὰ τοῦτο δὲ γενόμενοι τοῦ λόγου δυσωποῦνται τὴν αὐτὴν ἐπονομάζειν τοῦ ζῴου φύσιν. εἶναι γὰρ αὐτὸν ἤδη τηνικάδε ἁπλῶς τὴν τοῦ ἡνιόχου καὶ δεσπότου ψυχήν, μᾶλλον δὲ αὐτὸ τὸ φρονοῦν καὶ τὸ ἡγούμενον αὐτῆς. οὕτως δὴ λέγομεν καὶ ἡμεῖς τιμῶντες καὶ σεβόμενοι τὸν μέγιστον θεὸν ἔργοις τε ἀγαθοῖς καὶ ῥήμασιν εὐφήμοις.*

Non debebat Emperius verba *οὕτως* usque ad *εὐφήμοις*, quae inepte interpolata esse iam Casaubonus vidit, sine obelo in textum recipere. Sed initium quoque mendosum est. Nam quid voluerit Dio unusquisque videt: In hac fabulae parte, qua ad unius ignis regnum perventum est, vereri Magos animalis nomen deo illi sive substantiae imponere. Sed hanc sententiam nemo graece ita reddet *δυσωποῦνται τὴν αὐτὴν ἐπονομάζειν τοῦ ζῴου φύσιν.* Vestigium veri servavit Meermannianus codex, non *εἶναι γὰρ αὐτὸν* (quod Emperio placuit) sed *εἶναι γὰρ αὐτὴν* pergens. Puto enim restituendum esse *δυσωποῦνται ταύτην ἐπονομάζειν <ἀπὸ> τοῦ ζῴου φύσιν*, i. e. hanc substantiam dubitant ab animali nominare. Nunc enim a gubernatoris anima non differt.

Nunc vero priusquam cum Dione ad palingenesiam mundi nos vertamus redeundum est ad § 47—51 ubi de eis mundi creati fatis disputatur quae, licet terrae funesta sint, universum non concutiant. Certis enim temporibus ex ore primi equi fervidi exoriuntur spiritus. Inde insolitus calor surgit etiam in altero tertioque equo i. e. in aere et aqua. Quarti autem et comburuntur crines et omne deletur ornamentum. Iterum aliis temporibus modum excedit Neptunus multoque sudore inundat vicinum equum, terram. Patet hic incendia et diluvia doceri legitimo tempore redeuntia, quibus terra non diruitur sed silvis, frugibus, animantibus orbatur. Atque ne Graecis quidem omnis evanuit huius rei memoria. Testes sunt incendii Phaethon, diluvii Deucalion. Sed errant Graeci raro haec accidere existimantes et contra voluntatem creatoris. Immo saepe eveniunt imperante deo mundi rectore[3]).

[1]) cf. Pyrrh. Hyp. III, 124 citatum a Dielesio l. c. p. 460, ubi cf. de Chrysippo referentem Didymum.

[2]) cf. Ps. Phil. de aet. mundi p. 258,5 ed. Bernays.

[3]) *τὸ μὲν οὖν πολὺ μετ' εἰρήνης καὶ φιλίας διατελοῦσιν ἀβλαβεῖς ὑπ' ἀλλήλων. ἤδη δέ ποτε ἐν μήκει χρόνου καὶ πολλαῖς περιόδοις ἰσχυρὸν ἆσθμα τοῦ πρώτου προσπεσὸν ἄνωθεν, οἷα δὴ θυμοειδοῦς, ἐθέρμηνε τοὺς ἄλλους, σφοδρότερόν γε μὴν τὸν τελευταῖον, τήν τε δὴ χαίτην περιέφλεξεν αὐτοῦ, ᾗ μάλιστα ἠγάλλετο, καὶ τὸν ἅπαντα κόσμον. τοῦτο δὲ τὸ πάθος ἅπαξ Ἕλληνας μνημονεύοντάς φασι Φαέθοντι προσάπτειν, οὐ δυναμένους μέμφεσθαι τὴν Διὸς ἡνιόχησιν τούς τε Ἡλίου δρόμους οὐκ ἐθέλοντας ψέγειν. διό φασι νεώτερον ἡνίοχον, Ἡλίου παῖδα θνητόν, ἐπιθυμήσαντα χαλεπῆς καὶ ἀσυμφόρου πᾶσι τοῖς θνητοῖς παιδιᾶς, αἰτησάμενον παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπιστῆναι τῷ δίφρῳ, φερόμενόν τε ἀτάκτως πάντα καταφλέξαι ζῷα καὶ φυτά, καὶ τέλος αὐτὸν διαφθαρῆναι πληγέντα ὑπὸ κρείττονος πυρός. πάλιν δὲ ὅταν διὰ πλειόνων ἐτῶν ὁ Νυμφῶν καὶ Ποσειδῶνος ἱερὸς πῶλος ἐπαναστῇ παρὰ τὸ σύνηθες ἀγωνιάσας καὶ ταραχθεὶς ἱδρῶτι πολλῷ κατα-*

Iam vero in egregia Zelleri de Stoicorum doctrina disputatione etiam de terrestribus ruinis accurate exponitur, sed commemorantur tantummodo diluvia [1]). Ex cuius viri silentio, cui quantum debeat etiam hoc de Dione opusculum grato animo profiteor, hoc certe concludi potest non videri a Stoicis incendia terrestria praeter universalem concremationem doceri. Accedit quod Hagenus [2]) cum Dionis § 48 apte comparavit Platonem, qui in Timaeo 22 e sqq. Dione explicatius narraverat et diluvia et incendia alternantibus temporibus a dis institui ut purgaretur terra. Idem iam ad Phaethontem provocaverat. Tamen negaverim Dionem, quem videmus totam fabulam Stoicis debere, hanc unam de incendiis doctrinam de suo addidisse ex Platone. Sed Platone utebantur Stoici, Stoicis Dio. Nam etiam diluvia in Platone leguntur, quae nemo contendet aliunde in Borystheniticam orationem migrasse, quam ex Stoicis. Et animadvertendum est ad verbum fere congruere cum Timaeo Pseudo-Philonei de aeternitate mundi libelli finem, ubi hodie constare videtur pugnari contra Theophrastum armis Stoicis [3]).

Mundum non semper isdem viribus instructum vigere, quibus floruerat modo natus, consentiens est opinio et Stoicorum et Epicureorum. Testantur hoc Diogenis Laertii [4]) verba *καὶ εἴ τι ἐπιδεκτικόν ἐστι τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολῆς, φθαρτόν ἐστι· καὶ ὁ κόσμος ἄρα· ἐξαυχμοῦται γὰρ καὶ ἐξυδατοῦται.* Quae caveas de diluviis incendiisque dicta esse credas, ex quibus proclive quidem erat causam repetere, cur mundus pedetemptim in peiora abeat. Sed non videntur Stoici hanc conclusionem admisisse. Diogenis verba hoc tantum docent longinquo ignis aquaeque dominio paullatim mundum depravari. Atque ne huius quidem doctrinae tectum quidem sed certum deest apud Dionem vestigium. Dicit enim in mundi descriptione post conflagrationem iterum condendi (58):

ἐργασάμενος δὲ καὶ τελεώσας ἀπέδειξεν ἐξ ἀρχῆς τὸν ὄντα κόσμον εὐειδῆ καὶ καλὸν ἀμηχάνως, πολὺ δὴ λαμπρότερον ἢ οἷος ὁρᾶται νῦν· πάντα γάρ που καὶ τἆλλα ἔργα τῶν δημιουρ-

---

γικλέσῃ τὸν αὐτὸν τοῦτον ἅτε ὁμόζυγα, πειρᾶται δὴ τῆς ἐναντίας τῇ πρότερον φθορᾷ, ὕδατι πολλῷ χειμαζόμενος, καὶ τοιοῦτον ἕνα χειμῶνα διηγεῖσθαι τοὺς Ἕλληνας ὑπὸ νεότητός τε καὶ μνήμης ἀσθενοῦς, καὶ Δευκαλίωνα βασιλεύοντα τότε σφίσιν ἀρκέσαι πρὸ τῆς παντελοῦς φθορᾶς. ταῦτα δὲ σπανίως συμβαίνοντα δοκεῖν μὲν ἀνθρώποις διὰ τὸν αὐτῶν ὄλεθρον γίγνεσθαι μὴ κατὰ λόγον μηδὲ μετέχειν τῆς τοῦ παντὸς τάξεως, λανθάνειν δὲ αὐτοὺς ὀρθῶς γιγνόμενα καὶ κατὰ γνώμην τοῦ σώζοντος καὶ κυβερνῶντος τὸ πᾶν

[1]) cf. Zeller die Philosophie der Griechen III, 1 ³ 156 adn. 3.

[2]) cf. l. c. p. 23.

[3]) Dissentiunt Heracliti Homer. alleg. c. 24, ubi universale exitium et a diluvio et a conflagratione repetitur. Seneca ad Marc. 26,6 de mundi conflagratione, Nat. quaest. III, 27 de terrae diluvio disputat, tacere videtur incendia terrestria, nisi III, 28, 3 dubitabimus, de quonam incendii genere agatur: „aqua et ignis terrenis dominantur. ex his ortus et ex his interitus est. ergo quandoque placuere res novae mundo sic in nos mare emittitur desuper, ut fervor ignisque, cum aliud genus exitii placuit". Eidem homines omnes videntur diluviis perire. Nec mirum est alios aliter de his rebus cogitasse. Tamen eam narrationem, quae in Timaeo exstat, primitus a Stoicis receptam fuisse, per se verisimile est. Nam ne omne genus humanum his particularibus ruinis deleretur Stoicis quoque curandum erat, siquidem in initio tantum cuiusque mundi periodi ea vis est terrae, ex qua sponte creentur homines limoque quasi matris ubere alantur (cf. de hac prima generatione Dionem in or. XII, 30). Itaque relinqui debebant semina quaedam futurorum hominum, ex quibus denuo conformetur societas humana. Aequabili igitur ratione dispertienda erat haec ruina inter duo elementa, ut furente igni aquosis latebris reliquiae illae humani seminis se abdere possint, crescentibus undis montium serventur cacumine. Quare secundum Platonem apud Ps. Philonem legimus: *πρὸς δὲ μαχομένων δυνάμεων ἐν μέρει τοὺς ἐν ἐναντίοις οἰκοῦντας τόποις ἀπόλλυσθαι περὶ μὲν τοὺς ἐν ὄρεσι καὶ γεωλόφοις καὶ δυσύδροις χωρίοις ἅτ' οὐκ ἔχοντας πρὸς ἀμυντήριον ἄφθονον ὕδωρ, ἔμπαλιν δὲ ὕδατι τοὺς παρὰ ποταμοῖς ἢ λίμναις ἢ θαλάττῃ.* Causa autem huius particularis exitii et ex moribus poterat et ex ratione physica repeti. Physicus esse videtur, quem Ps. Philo sequitur. Senecae ex morum depravatione diluvium nasci videtur, „scilicet ut omne ex integro animal generetur deturque terris homo inscius scelerum et melioribus auspiciis natus". De consilio exitii tacet Dio.

[4]) cf. VII, 141 p. 189, 38 Cobet.

γῶν ἀπὸ τῆς τέχνης καὶ τῶν χειρῶν παραχρῆμα τοῦ ποιήσαντος κρείττω καὶ στιλπνότερα. καὶ τῶν φυτῶν τὰ νεώτερα εὐθαλέστερα τῶν παλαιῶν ὅσα τε βλαστοῖς ἐοικότα.

Mundus autem pronos in annos degenerans hominis similis est, cuius vita in infantiam iuventutem maturam aetatem senectutem dividitur. Infantem vero mundum in propatulo est gratissimam fuisse adversariis cavillandi Chrysippi causam. Nec defuere, qui uterentur occasione oblata. Conferas velim ea quae Critolaum secutus auctor libelli de aeternitate mundi dicat:[1] .. *σκοπεῖν ἄξιον, ὅτι πᾶν τὸ γενόμενον ἐν ἀρχῇ μὲν δεῖ πάντως ἀτελὲς εἶναι, χρόνου δὲ προϊόντος αὔξεσθαι μέχρι παντελοῦς τελειώσεως, ὥστε εἰ γέγονεν ὁ κόσμος, ἦν μέν ποθ', ἵνα κἀγὼ χρήσωμαι τοῖς ἡλικιῶν ὀνόμασι, κομιδῇ νήπιος, ἐπιβαίνων δ' αὖθις ἐνιαυτῶν περιόδοις καὶ μήκεσι χρόνων ὀψὲ καὶ μόλις ἐτελειώθη .. τὸν δὲ κόσμον εἴ τις νομίζει χρήσασθαί ποτε ταῖς τοιαύταις μεταβολαῖς, ἀθεραπεύτῳ μανίᾳ κεκρατημένος μὴ ἀγνοείσθω· δῆλον γὰρ ὡς οὐ μόνον αὐτοῦ τὸ σωματοειδὲς αὐξηθήσεται, λήψεται δὲ καὶ ὁ νοῦς ἐπίδοσιν .. οὐκοῦν ἀνθρώπου τρόπον ἐν ἀρχῇ μὲν τῆς γενέσεως ἄλογος ἔσται, ... ὅπερ .. ὑπονοεῖν ἀσεβές· κτλ.* Iterum autem habes Dionem Stoicorum adversariis ita obloquentem, ut ipsorum verbis utatur. Pergit enim (§ 59):

> *ἡ μὲν γὰρ ἀνθρώπου φύσις νηπία τε καὶ ὑδαρής, ὁμοία Δήμητρος ἀτελεῖ χλόῃ, προελθοῦσα δὲ εἰς τὸ μέτρον ὥρας καὶ νεότητος παντὸς ἀτεχνῶς φυτοῦ κρεῖττον καὶ ἐπιφανέστερον βλάστημα· ὁ δὲ ξύμπας οὐρανός τε καὶ κόσμος, ὅτε πρῶτον συνετελέσθη κοσμηθεὶς ὑπὸ τῆς σοφωτάτης καὶ ἀρίστης τέχνης, ἄρτι τῶν τοῦ δημιουργοῦ χειρῶν ἀπηλλαγμένος, λαμπρὸς καὶ διαυγὴς καὶ πᾶσι τοῖς μέρεσι παμφαίνων, νήπιος μὲν οὐδένα χρόνον ἐγένετο οὐδὲ ἀσθενὴς κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην τε καὶ θνητὴν τῆς φύσεως ἀσθένειαν, νέος δὲ καὶ ἀκμάζων εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς.*

Ceterum animadvertas quam laete assurgat eloquentia scriptoris in hac extrema fabulae parte, qui tandem sepositis Chrysippi voluminibus proprio spiritu fertur, ut sponte nobis Vergili memoria oriatur, qui eundem genitalem diem mundi simplicius celebravit et pulchrius.

Nobis vero nondum licet Chrysippum dimittere. Redeundum enim est, unde deflexit disputatio, ad palingenesiae initium (§ 54). Actum erat de quattuor equis, omnes in suam substantiam verterat primus. Nunc demum piget Dionem equestris illius comparationis, quem iam supra vidimus inde a verbis *ὅμως δὲ* abiectis nugis legentibus puram absolutamque proponere substantiam, sive ignem primarium sive mentem divinam, qualis fuerit eo tempore, quo nondum mundum creaverat. Notabo autem primum ridiculum errorem vulgatae lectionis, quem sensit quidem Emperius, tamen recepit in editionem suam. Ita enim hic legimus,

> *λειφθεὶς γὰρ δὴ μόνος ὁ νοῦς καὶ τόπον ἀμήχανον ἐμπλήσας αὐτοῦ γε, ἅτε γε πίθος πανταχῇ κεχυμένος, οὐδενὸς ἐν αὐτῷ πυκνοῦ λειφθέντος, ἀλλὰ πάσης ἐπικρατούσης μανότητος, ὅτε κάλλιστος γίγνεται τὴν καθαρωτάτην λαβὼν αὐγῆς ἀκηράτου φύσιν εὐθὺς ἐπόθησε τὸν ἐξ ἀρχῆς βίον.*

Nescire me fateor quid sit dolium ubique fusum. Item non assequor, cur Emperio Dio hoc loco videatur cavillatus esse. Accedit quod tam absurda sententia ne tradita quidem est. In Meermanniano enim *αὐτοῦ γε πίθωσ* legitur. Non dicam contigisse mihi ut Dionem restituerem, sed puto simile quid ab eo scriptum fuisse eius quod proponam: *αὐτὸς πεφυκώς*. Quod ut credam primum structura me movet plane aequabilis, quam tali mutatione lucramur. Videas enim quam accurate sibi respondeant

[1] cf. p. 246,3 Bernays.

enuntiatorum paria: *λειφθεὶς — μόνος = τόπον — ἐμπλήσας, αὐτὸς πεφυκὼς = πανταχῇ κεχυμένος, οὐδενὸς — λειφθέντος = ἀλλὰ — μανότητος.* Deinde res ipsa talem sententiam requirit, quae inter laudes summo numini adtributas apte inseratur. Atque cum secundo quarto sexto colo numinis immensa efferatur propagatio, primo et quinto eius puritas, syllogismo fere mathematico concludi potest, etiam tertio colo agi de mentis simplicitate. Igitur *αὐτὸς πεφυκὼς* „ipse i. e. purus factus“ bene mihi videbatur opponi *τῷ „πανταχῇ κεχυμένος“*. Addo *ἁπλῶς* puram esse mentem hoc tantum temporis momento. Post mundi enim creationem numen divinum in vilissimas quoque se insinuans formas pristina sinceritate se ipse exuit.

Sequitur palingenesia, de cuius initio iam dixi menti purae per omnes universi partes effusae desiderium nasci pristinae gubernationis. Idem sequentia accuratius exponunt:

> *ἔρωτα δὴ λαβὼν τῆς ἡνιοχήσεως ἐκείνης καὶ ἀρχῆς καὶ ὁμονοίας τόν τε τῶν τριῶν φύσεων καὶ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων ἁπάντων τε ἁπλῶς ζῴων καὶ φυτῶν. ὥρμησεν ἐπὶ τὸ γεννᾶν καὶ διανέμειν ἕκαστα καὶ δημιουργεῖν τὸν ὄντα νῦν κόσμον, ἐξ ἀρχῆς πολὺ κρείττω καὶ λαμπρότερον ἅτε νεώτερον.*

Vides mentem parturientem, sed nondum parientem. Ipsum partum haec verba describunt (§ 56):

> *ἀστράψας δὲ ὅλον οὐκ ἄτακτον οὐδὲ ῥυπαρὰν ἀστραπήν, οἵα ἂν χειμέριος ἐλαυνομένων βιαιότερον πολλάκις τῶν νεφῶν διῆξεν, ἀλλὰ καθαρὰν καὶ ἀμιγῆ παντὸς σκοτεινοῦ, μετέβαλε ῥᾳδίως ἅμα τῇ νοήσει. μνησθεὶς δὲ Ἀφροδίτης καὶ γενέσεως ἐπράϋνε καὶ ἀνῆκεν αὐτὸν καὶ πολὺ τοῦ φωτὸς ἀποσβέσας εἰς ἀέρα πυρώδη τρέπεται πυρὸς ἠπίου.*

Insunt in hac descriptionis parte difficultates, quas non mihi videor plane removisse. Constat enim ex consentientibus de hac re testimoniis [1]) ita procedere palingenesiam, ut primum aether (mens) in aerem, deinde aer in aquam mutetur, ex qua cetera nascantur. Conferas e. g. Diogenem Laertium: [2]) *γίνεσθαι δὲ τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρὸς ἡ οὐσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρόν, εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτοῦ συστὰν ἀποτελεσθῇ γῆ, τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῇ καὶ τοῦτ' ἐπὶ πλέον λεπτυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ· εἶτα κατὰ μίξιν ἐκ τούτων φυτά τε καὶ ζῷα καὶ τὰ ἄλλα γένη.* Totum locum exscripsi, ut videas primum esse cosmogoniae quasi actum mentis in aerem conversionem nihilque praecedere. Praemissa autem videtur a Dione et mutatio aliqua, cuius natura accuratius non describitur *(μετέβαλε)*, et mitigatio *(ἐπράϋνε)*. Noli tamen credere hoc a Dione novatum esse contra Stoicos. Immo Dio quoque inde a verbo *ἀστράψας* de prima illa ignis in aerem mutatione disputat, ita autem, ut ter eam nobis repraesentet vel tres unius actionis partes proponat, quae verbis tantum segregari possunt, cum re ipsa artissime inter se cohaereant: mens enim in aerem transiens et mutatur et mitigatur et in aerem vertitur. Negari autem nequit seutentiam apertiorem futuram fuisse, si scripsisset Dio *μνησθεὶς γάρ*, non *μνησθεὶς δέ*. Ita sequentia enuntiata suspensa fecisset a priore. Noluerim autem mutare hanc voculam, quae magis fortasse placuit Dioni, cuius in hac orationis parte sermo et solutus et elatus redolet quodammodo nostrorum ecclesiasticorum dictionem opimam et abundantem. Duo praeterea adnotabo, non explicabo. Primum hoc est. Mirum fortasse non est mentem dum agit fulgere, ignis enim est. Tamen latet fortasse sub his verbis frustulum Stoicae doctrinae, cuius me fugit notitia. Deinde omnia, quae de

[1]) cf. Zeller l. c. 149 adn. 5.
[2]) cf. VIII, 142 p. 189,40 Cobet.

mente parturiente dicta sunt, aoristo tempore formavit Dio, item primae actionis priores duas partes. Inde a tertia deinceps praesenti utitur ut creantem describat mentem.

Ex aethere aer, ex aere aqua gignitur secundum Stoicos, aqua autem quasi semen est omnium rerum. At si omnis ignis in aerem abiit, unde caelum formabitur? Iterum Ps. Philo [1]) quomodo occurrerent Stoici huic dubitationi tradidit: *ἐπειδὴ γὰρ αἴτιον κινήσεώς ἐστι τὸ πῦρ, κίνησις δὲ γενέσεως ἀρχή, γενέσθαι δὲ ἄνευ κινήσεως ὁτιοῦν ἀδύνατον, ἔφασαν ὅτι μετὰ τὴν ἐκπύρωσιν, ἐπειδὰν ὁ νέος κόσμος μέλλῃ δημιουργεῖσθαι, σύμπαν μὲν τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, ποσὴ δέ τις αὐτοῦ μοῖρα ὑπολείπεται.* Et ne hoc quidem inventum neglexit Dio, cum m a g n a m ignis p a r t e m dicat extinguere mentem (non omnem igitur) et transire in aerem f e r v i d u m. Sed cur tam molesto usus sit pleonasmo, ut diceret *πυρώδη πυρὸς ἠπίου*, non video causam; glossema mihi videtur *πυρὸς ἠπίου* ex antecedentibus *ἐπράϋνε καὶ ἀνῆκεν αὐτόν* fictum.

Sequitur aeris in aquam transitus, quem ut more solito mythologica veste ornaret, haec excogitavit:

> *μιχθεὶς δὲ τότε Ἥρᾳ καὶ μεταλαβὼν τοῦ τελειοτάτου λέχους ἀναπαυσάμενος ἀφίησι τὴν πᾶσαν αὖ τοῦ παντὸς γονήν. τοῦτον ὑμνοῦσι παῖδες σοφῶν ἐν ἀρρήτοις τελεταῖς Ἥρας καὶ Διὸς εὐδαίμονα γάμον.*

Stupebis ad novam hanc sacri inter Iovem et Iunonem matrimonii interpretationem. Nam sollemnis quidem est et apud philosophos et apud poetas allegoricus huius fabulae usus neque inepte in Homericis allegoriis *ἱερὸς γάμος* ad caeli verno tempore hilaritatem refertur. Aer enim, quem diu hiemps contristaverat, vere quippe mixtus cum aethere serena luce perfunditur. Apte autem duorum elementorum coniunctionem comparari deorum matrimonio quis negabit? Hoc autem loco de unius substantiae vicissitudinibus disseritur, quae sibi ipsa semen inferre cogitur a Dione. Sed legentes, qui tulere equum terrestrem, ferent etiam hoc matrimonium quod, etsi contra sanam cogitandi rationem pugnat, eo paulum excusatur, quod semen igneum cum Stoicis furtim reliquerat scriptor. Hoc igitur putabimus secundum Dionem divino matrimonio significari: aetheris reliquias aeri sese immergentis.

Neque iam mirabere ex tali concubitu insolita quoque gigni. Sequuntur enim nova miracula: Non ingravescit uxor, sed universum in humidum vertitur semen. In hoc autem iterum mens regnat, et omnia videmus universi fata superare *τὸ ἡγεμονικόν*. Haec enim Dio, postquam dixit omne universi semen in hoc matrimonio a mente emitti (§ 37):

> *ὑγρὰν δὲ ποιήσας τὴν ὅλην οὐσίαν, ἓν σπέρμα τοῦ παντός, αὐτὸς ἐν τούτῳ διαθέων, καθάπερ ἐν γονῇ πνεῦμα τὸ πλάττον καὶ δημιουργοῦν· τότε δὴ μάλιστα προσεοικὼς τῇ τῶν ἄλλων συστάσει ζῴων καθόσον ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστάναι λέγοιτ' ἂν οὐκ ἄπο τρόπου· τὰ λοιπὰ ἤδη ῥᾳδίως πλάττει καὶ τυποῖ, λείαν καὶ μαλακὴν αὑτῷ περιχέας τὴν οὐσίαν καὶ πᾶσαν εἴκουσαν εὐπετῶς.*

Physicam rationem optime Diogenes Laertius[2]) explicat: *κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν κατ' αὑτὸν ὄντα τρέπειν τὴν πᾶσαν οὐσίαν δι' ἀέρος εἰς ὕδωρ· καὶ ὥσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα περιέχεται, οὕτω καὶ τοῦτον σπερματικὸν λόγον ὄντα τοῦ κόσμου τοιόνδ' ὑπολείπεσθαι ἐν τῷ ὑγρῷ, εὐεργὸν αὑτῷ ποιοῦντα τὴν ὕλην πρὸς τὴν τῶν ἑξῆς γένεσιν, εἶτ' ἀπογεννᾶν κτλ.* neque puto hanc sententiam Reiskio obscuram fuisse, sed media verba quae sunt a *καθάπερ — τρόπου* se non intellexisse fatetur. Sed haec

---

[1]) cf. p. 253, et Zeller l. c. 151, adn. 1.

[2]) cf. VII, 136 p. 188,24 Cobet. et Zeller l. c. p. 149.

quoque, quid sibi velint, eum non fugiet, qui definitionum de quibus Dio antea (§ 29) disputaverat memor est. Stoicos enim constat et civitati *(σύστημα ἐξ ἀνθρώπων καὶ θεῶν)* et animali *(ζῷον)* mundum comparasse. Atqui § 30 dixerat Dio absurdum videri mundum simul civitatem et animal dicere. Prioris autem definitionis tum defensionem susceperat (30), alteram (mundus = animal) in dubio reliquerat. Quod cur fecerit nunc adparet. Nihil enim certi de altera poterat constituere, priusquam varia mundi fata explicasset. Explicatius autem mox de his definitionibus quaerendum erit. Nunc hoc dico, creato mundo universum esse civitatem, diruto animal. Audias Plutarchum[1]): *καὶ μὴν ὅταν ἐκπύρωσις γένηται δι' ὅλου ζῆν καὶ ζῷον εἶναι (τὸν κόσμον) φησίν· σβεννύμενον δ' αὖθις καὶ παχυνόμενον εἰς ὕδωρ καὶ γῆν καὶ τὸ σωματοειδὲς τρέπεσθαι.* Eo tantum differunt et Dio et Diogenes, quod hic universum quale est conflagrationis tempore, ille quale est humiditatis statu i. e. initium palingenesiae animali comparat, sine dubio ne illius sanctitatem deminuere videatur. Sed de re ipsa consentiunt: valere mundi cum animali comparationem ante *τὴν διακόσμησιν.* Nunc vides quomodo Dionis § 29 et 51 cohaereant. Supra dixerat *τὸ γὰρ αὐτὸ πόλιν τε καὶ ζῷον οὐκ ἄν οἶμαι ῥᾳδίως ὑπομένοι τις ὑπολαβεῖν,* i. e. negaverat simul civitatem et animal esse mundum. Nunc verbis *τότε δὴ μάλιστα — τρόπον* addit, quo tempore mundus non quidem civitas, sed animal sit. Nimirum in eius statu, quem modo descripsit, *γονὴ* corporis, mens animi partes suscepit; non igitur inepta est illa comparatio.

Sed in tradita huius sententiae forma leviora sunt quae displiceant. Primum animadvertas verba *τότε — τρόπον* parentheseos loco addita esse. *ὁ νοῦς* enim subiectum est, de quo dicitur *ποιήσας — πλάττει.* Deinde cur unum esse semen hoc loco moneat non video. Agitur etiam in priore de unius substantiae vicissitudinibus. Tum quod *ὑγρὸν* scribo, quod ad *σπέρμα* referendum est, sponte hoc se commendat. Denique si mens dicitur circumvolans in semine, quam stoice hoc dictum sit, testis est Diogenes, qui c. l. eadem comparatione utebatur *ὥσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα,* i. e. ea seminis singulorum animantium pars, quae creat et agit. Sed quid sibi volunt coniuncta cum particulari semine verba *τὸ πλάττον καὶ δημιουργοῦν*? Apta forent de universi semine dicta, de quo statim sequitur *ὅτι τυποῖ καὶ πλάττει.* Confidenter removeas verba, quae ut totius enuntiati sensum comprehenderent, margini olim adscripta fuerant. Quam ob rem totam sententiam ita constituam: *ὑγρὸν δὲ ποιήσας τὴν ὅλην οὐσίαν [ἓν] σπέρμα τοῦ παντός, ἐν τούτῳ διαθέων, καθάπερ ἐν γονῇ πνεῦμα [τὸ πλάττον καὶ δημιουργοῦν] (τότε δὴ μάλιστα προσεοικὼς τῇ τῶν ἄλλων συστάσει ζῴων, καθόσον ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστάναι λέγοιτ' ἂν οὐκ ἄπο τρόπου), τὰ λοιπὰ ἤδη ῥᾳδίως πλάττει καὶ τυποῖ λείαν καὶ μαλακὴν αὐτῷ περιχέας τὴν οὐσίαν καὶ πᾶσαν εἴκουσαν εὐπετῶς* i. e. „mens, quo tempore omnem substantiam in humidum universi semen vertit, ipsa hoc semen percurrens, ut spiritus qui in singulorum animantium seminibus agit (tum aliorum animalium constructioni simillima, quia iure nunc dicitur mens (i. e. mundus) composita esse ex corpore et anima), iam cetera sine difficultate format levi mollique substantia vestita et quae undique facile cedat.“ Novissima verba de aqua dicta esse patet, quae ad creandum aptissima videbatur. Illi igitur in palingenesia gravissimae partes tributae sunt. Aether et aer *ἁπλῶς* mutantur. Ex aqua nascitur mundus in quo vivimus. Ita Diogenes c. l. Iovem dicit substantiam in aquam vertere, ut materia utatur ad creandum apta: *εὐεργὸν αὐτῷ (αὑτῷ?) ποιοῦντα τὴν ὕλην.*

---

[1]) cf. Plutarch. de Stoic. rep. c. 41

Ad finem perduxi mythi Dionei enarrationem et conticerem, nisi restaret is locus (§ 29—31), ubi de mundi definitionibus disserens primum Stoicis totum se dedit scriptor. Totum exscribo ex Emperio hunc locum, qui auxilium expectat et emendaturi et interpretis. Quod verba *ἐναντίον — ὑπολαβεῖν* uncis circumscripsi, Reiskio debetur, quem probat Emperius, sed in editione non secutus est.

τὸ μὲν δὴ τῆς πόλεως οὕτως, ἔφην, δεῖ ἀκούειν, ὡς οὐκ ἄντικρυς τῶν εἰρημένων τὸν κόσμον ἀποφαινομένων πόλιν (ἐναντίον γὰρ ἂν ὑπῆρχε τούτῳ τῷ λόγῳ τὸ περὶ τῆς πόλεως, ἥν, ὥσπερ οὖν εἶπον, σύστημα ἀνθρώπων ὡρίσαντο· ἅμα τε οὐκ ἦν ἴσως πρέπον οὐδὲ πιθανὸν κυρίως εἰπόντας εἶναι τὸν κόσμον ζῷον ἔπειτα φάσκειν ὡς ἔστι πόλις· (30) τὸ γὰρ αὐτὸ πόλιν τε καὶ ζῷον οὐκ ἂν οἶμαι ῥᾳδίως ὑπομένοι τις ὑπολαβεῖν), ἀλλὰ τὴν νῦν διακόσμησιν, ὁπηνίκα διῄρηται καὶ μεμέρισται τὸ πᾶν εἰς πολλάς τινας μορφὰς φυτῶν τε καὶ ζῴων θνητῶν καὶ ἀθανάτων, ἔτι δὲ ἀέρος καὶ γῆς καὶ ὕδατος καὶ πυρός, οὐ̃ δὲ ἧττον πεφυκὸς ἐν ἅπασι τούτοις καὶ μιᾷ ψυχῇ καὶ δυνάμει διεπόμενον, ἀμηγέπη πόλει προσεικάζουσι διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐν αὐτῇ γιγνομένων τε καὶ ἀπογιγνομένων, ἔτι δὲ τὴν τάξιν καὶ τὴν εὐκοσμίαν τῆς διοικήσεως. (31) ὁ δὲ λόγος οὗτος ἔμβραχυ ἐσπούδακε ξυναρμόσαι τῷ θείῳ τὸ ἀνθρώπειον γένος καὶ ἑνὶ λόγῳ περιλαβεῖν πᾶν τὸ λογικόν.

Atque in initio auctor priorem aliquam de mundo respicit disputationem, qua urbi sive civitati eum similem esse dixisse videtur: quod nunc non quidem falsum esse contendit, sed ne absolute *(οὐκ ἄντικρυς)* dictum esse credamus monet. Verba autem *ὡς οὐκ ἄντικρυς τῶν εἰρημένων τὸν κόσμον ἀποφαινομένων πόλιν* Emperii sunt, dubii num *ἡμετέρων* pro *εἰρημένων* scribendum sit. Codicum lectio vulgata videtur esse *ἄντικρυς τῶν ἥμερον ζῷον τὸν κόσμον ἀποφαινομένων ἢ πόλιν*. Meermannianus *ἄντικρυς τῶν ἡμερῶν τὸν κόσμον ἀποφαινομένων πόλιν* praebet. Atque sensui certe satisfecit Emperius, cuius *τῶν εἰρημένων* probarem, si praecederet continua argumentatio. Antecedit autem lepida de Hierosone narratio, qui leviter proludentem Dionem interruperat. Accedit quod origo vitii obscurior est, quae optime perspicietur, si Dionem scripsisse putabimus *ὡς οὐκ ἄντικρος ἡ μ ῶ ν τὸν κόσμον ἀποφαινομένων πόλιν.* Simul et propaginem vitii intellegimus et multo praestare vulgatae lectioni Meermannianum. In hoc enim ex leviore *ἡμῶν* in *ἡμερῶν* corruptela *τῶν ἡμερῶν* exstitit i. e. mansuetorum urbs. Adsumpta sequenti definitione (mundus = animal) duo in vulgata nascebantur *ὁρισμοί*: *ἥμερον ζῷον* et *πόλις*, quos denique addita *ἢ* particula seiungebant.

Sed nunc videamus, num ea superioris expositionis parte, ad quam haec verba adnexuit Dio, apertis verbis civitatem sive urbem esse mundum dixerit. Non dixit neque potuit dicere orator, qui de urbe, non de mundo contionaturus prodierat ad Borysthenitas. De urbe enim dicturus Phocylidis versus pronuntiaverat (§ 13), de urbe se dicturum esse § 18 promisit et, ut via ac ratione procederet, primum quid sit urbs quaesiit. Illam igitur definivit § 20: *οὕτως οὖν καὶ τὴν πόλιν φασὶν εἶναι πλῆθος ἀνθρώπων ἐν ταὐτῷ κατοικούντων ὑπὸ νόμου διοικούμενον.* Cuius definitionis gravissima pars continetur verbis *ὑπὸ νόμου διοικούμενον*. Unde sequitur ut urbs mente carens non sit urbs. Iam vero quaeritur, quid de ea urbe iudicandum sit, cuius rectores ratione praediti sint, defecti ei quos regunt. Nimirum haec quoque urbis nomine digna est. Nam eam in terris frustra quaeres, cuius omnes partes rationales sint. Tale civitatis exemplum deorum tantum inter se commercium praebet. Nos autem pro humanae sortis condicione contenti erimus, si inter corrupta omnia unum minus corruptae urbis exemplum invenerimus.

Vides in hac austera humani divinique oppositione locum non esse eius civitatis, quae humana et divina ad maioris „systematis“ unitatem coniungit. Tamen scriptor futuri providus etiam huius civi-

tatis mentionem quasi furtim immiscuit. ut esset, ad quae postea respicere posset. Nam ubi dixit deorum communionem unicam veram esse civitatem, (§ 23: *μίαν γὰρ δὴ ταύτην καθαρῶς εὐδαίμονα πολιτείαν εἴτε καὶ πόλιν χρὴ καλεῖν τὴν θεῶν πρὸς ἀλλήλους κοινωνίαν*), verba adnexuit *ἐάν τε καὶ σύμπαν τὸ λογικὸν περιλάβῃ τις, ἀνθρώπων σὺν θεοῖς ἀριθμουμένων, ὡς παῖδες σὺν ἀνδράσι λέγονται μετέχειν πόλεως, φύσει πολῖται ὄντες, οὐ τῷ φρονεῖν τε καὶ πράττειν τὰ τῶν πολιτῶν οὐδὲ τῷ κοινωνεῖν τοῦ νόμου, ἀξύνετοι ὄντες αὐτοῦ*, quibus indicat posse etiam res humanas deorum civitati insertas cogitari ita ut rationis partes divina suscipere videantur, homines vero infantium instar ab illis curari. Quam sententiam huic demonstrationi parum aptam esse ipse Dio tecte fatetur verbis, quibus prooemio finem imposuit *πρός τι τοιοῦτον ὥρμων τῷ λόγῳ*. Hoc autem lucratus est, ut cum Hierosonis monitu Dioni de divina urbe dicendum sit, de definitione iam praemonuisse videatur et de hac parte floridae dictioni minus apta brevis esse possit.

Variae Stoicorum mundi definitiones apud Eusebium [1]) (cf. Diels 364,11 sqq.) enumeratae sunt: *ζῷον, θεός, σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἀέρος καὶ γῆς καὶ θαλάσσης καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς φύσεων, οἰκητήριον θεῶν καὶ ἀνθρώπων, πόλις ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσα, σύστημα ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων* [2]). Inter has Dionem duas sibi elegisse et ita inter se opposuisse supra demonstratum est, ut civitatem ad creatum, animal ad flagrantem sive renascentem mundum adhiberet. Quae distinctio obversabatur quidem animo Dionis, cum verbis, quae nunc tractamus, insequentis fabulae quasi fundamenta iaceret, sed nondum eam explicare licuit. Vides autem nunc, quam necessaria sit Reiskii parenthesis, qua liberatur ab additamentis primaria Dionis sententia, cuius hoc consilium est, ut quomodo civitas sit mundus discamus. Hoc enim dicit: „Quod dixi mundum esse civitatem, non ita intellegatis ut absolute (*ἄντικρυς* = *ἁπλῶς*, mox *κυρίως*) hanc definitionem valere putetis, sed hodiernam mundi conformationem iure comparant cum urbe et propter multitudinem rerum, quae *διακοσμήσεως* tempore in ea nascuntur et pereunt, et propter administrationis virtutes. Recte autem primo loco de varietate viventium monet, nam eo potissimum haec mundi condicio a posteriore differt, quod nunc mens dispertita est in innumera animalia, tum vero sese recipiet in supremi dei unitatem.

Venio ad parenthesim multis turbatam neque felicibus virorum doctorum conatibus, quae una excepta literula mihi videtur sana esse. Mitto Emperii aliorum tentamina. Traditum est: *ἐναντίον γὰρ ἂν ὑπῆρχε τοῦτο τῷ λόγῳ τῷ περὶ τῆς πόλεως, ὥσπερ οὖν εἶπον, σύστημα ἀνθρώπων ὁρίσαντο*. Scribas cum Seldeno *ὁρίσαντι* neglectis ceteris huius viri coniecturis, et sensum habes optimum, *ὥσπερ οὖν* autem ne te offendat cf. or. XII, 38. Explicat Dio cur nos vetuerit absolute dictam hanc definitionem intellegere. Cuius admonitionis gravissima quidem causa ea est, quod non semper valet haec definitio. Sed hanc causam, quam hoc argumentationis tempore audientes non possunt intellegere, nunc non respicit. Aliam adfert: contrariam eam esse ei urbis interpretationi, quam certis verbis supra posuerat. *πλῆθος* autem dixerat eam esse *ἀνθρώπων ὑπὸ τοῦ νόμου διοικούμενον*. Videlicet, si urbs hominibus constat, urbem non licet nominare et elementorum et deorum et hominum coniunctionem. Verba igitur *τῷ περὶ τῆς πόλεως* et *τὸ μὲν δὴ τῆς πόλεως* ita differunt, ut illa de priore illa urbis definitione dicta sint, haec autem interpreteris: „quod dixi de urbe (et humana et divina)“ — de utraque enim callide antea dixerat.

De reliqua parentheseos parte nunc nemo dubitabit. Subnascitur oratori de altera mundi definitione dicenti recordatio alterius, de qua nunc explicatius dicere ei non licet. In transcursu tamen ne hanc

[1]) cf. Praep. Evang. XV, 15.

[2]) cf. Stob. ecl. 1,21 184,10 Wachsm. 465, 15 Diels.

quidem *ἁπλῶς* intellegendam esse monet. Absonum enim esse simul urbem et animal mundum dicere. Quae verba quid sibi velint, supra (p. 13) expositum est.

Atque haec omnia mihi quidem luce videntur iam non carere. Restat autem magna periodi supra exscriptae pars, quae nondum expedita est, verba quae *τῇ νῦν διακοσμήσει* explicationis causa a scriptore addita sunt explicatu difficillima. Quorum initium quidem sanum est. Loquitur enim Dio de eo mundi tempore, quo universum „dispositum est atque dispertitum in varias plantarum, animantium et mortalium et immortalium nec non aeris terrae aquae ignis formas.“ Iam vero in Meermanniano sequuntur haec verba *ἐν οὐδὲν ἧττον πεφυκὸς ἐν ἅπασι τούτοις καὶ μιᾷ ψυχῇ καὶ δυνάμει διεπόμενον ἃ μήτε τῇ πόλει προσεικάζουσι κτλ.*, ex quibus *ἃ μήτε τῇ* Emperius speciosissima coniectura sanasse videtur, cum *ἀμηγέπῃ* scripserit; quod si verum est, *διεπόμενον* claudet enuntiatum ab *ὁπηνίκα* pendens. Dicam autem primum de initio sententiae modo propositae. Atque dubium non est sensu cassum esse quod traditur *ἐν οὐδὲν ἧττον*. Opem ferre multi studuerunt. Emperius primum[1]) vulgatae lectioni *(ἐν οὐδενὶ ἧττον)* patrocinatus hunc Dionis sensum esse opinatus est „in tanta rerum multitudine in nulla sui parte (universum) deterius est quam in reliquis.“ Sed etsi concederemus posse ita sanum loqui, contra Stoicos pugnantem facit Dionem Emperius, quoniam in vilissimis admirati sunt inesse deum[2]). Brevis ero de Pflugkii Geeliique coniecturis, quorum ille *ἐν οὐδενὶ ἧττον πεφυκός, <ἀλλ'> ἐν ἅπασι ὁμοίως καὶ*, hic *ἐν οὐδενὶ ἧττον πεφυκός, ἐν ἅπασι δὲ ὁμοίως καὶ* scripsit. Nam quo iure universum inesse dicatur in partibus universi non intellego. Subtilius excogitatum est, quod postea Emperius[3]) proposuit *νοῦ δὲ ἧττον*, quod ita interpretatur, universum subiectum esse mentis dominationi. Sed non decebat Stoicum inter universum et deum distinguere, cui utrumque idem esse debet.

Ordior equidem ab eo, quo non me fugit augeri difficultatem, verba *πεφυκὸς — τούτοις* et *διεπόμενον* non posse dicta esse de eadem re. *διεπόμενον* enim *ψυχῇ* est universum. *Πεφυκὸς* autem *ἐν ἅπασι τούτοις* dici nequit nisi de ea universi parte, quae per omnes diffusa est, i. e. de mente sive spiritu. Flagitatur igitur ad *πεφυκός* substantivum, quo mens significetur, quod excidisse eo molestius est, quia magna est varietas locutionum, quibus Stoici notaverunt illud, quod *πέφυκε ἐν ἅπασι*. Fuisse enim potest deus spiritus tenor aether ignis rector mens alia. Sed plura exciderunt, quam una vocula, nam *οὐδὲν ἧττον* quod cauto suspicionem non movebit indicat deum non solum dictum fuisse inesse in omnibus rebus, sed aliam quoque huic oppositam virtutem de eo antea praedicatam fuisse. *οὐδὲν ἧττον* enim „tamen“ significat (cf. or. 30,17). Porro deest transitus, qui fieri debet a partitione universi ad describenda dei officia. Dei autem ea est principalis actio, qua discreta in varias naturas contineat, continendoque moderetur. Denique cum *τὸ πᾶν* subiectum sit, non potest eiusdem enuntiati subiectum esse id substantivum, quocum coniunctum est *πεφυκός*. Deesse igitur videtur initium relativi enuntiati, cuius finis verba sunt *οὐδὲν — τούτοις*. Quibus omnibus perpensis temptavi *πυρός, <ἥνωται δὲ συνεχόμενόν τε τῷ πνεύματι (δι' ὃ πάντα ζῇ θεῖον μὲν ὂν καὶ ἀΐδιον, ἀλλ'> οὐδὲν ἧττον πεφυκὸς ἐν ἅπασι τούτοις) καὶ μιᾷ ψυχῇ καὶ δυνάμει διεπόμενον*. i. e. (eo tempore quo universum dispertitum quidem est in multas formas) sed etiam ad unius numinis unitatem redactum quippe spiritu coercitum, per quem omnia vigent etsi divinum et aeternum, tamen omnibus his rebus natura insitum) et una vi atque anima administratum.

[1]) cf. Observationes in Dionem p. 48.

[2]) cf. Zeller l. c. p. 138 adn. 2.

[3]) cf. Acta societ. Graecae 1,353.

Restat ut de verbis *ἅ μήτε τῇ* iudicemus, quae Emperius recte partem esse dixit primarii enuntiati atque lenissima manu in *ἀμηγέπῃ* transformavit. Difficile est contra tam speciosam coniecturam pugnare. Tamen dubito de eius veritate. Attulit autem Emperius [1], ut inventum probaret, locum qui ei videbatur simillimus esse: *καὶ οὐκ οἶδα ὅπως δοκεῖ μοι προσεοικέναι τὸ τῶν φιλοσόφων ἐνίων περὶ τοὺς λόγους ἀμηγέπῃ τῇ τῶν κοροπλάθων.* Neque nego aptissime huic sententiae adpositum esse „quodammodo"; nam quadam ratione similes sunt artes *φιλοσόφων* et *κοροπλάθων*. Sed qui mundum civitati comparant, ei hoc non faciunt quodam modo, sed neque dubitantes neque verbi significationem mutantes comparant. Accedit quod desideratur ad *προσεικάζουσι* substantivum, quo ei notentur, qui illam comparationem excogitaverunt. Iam vero Stoicorum, quorum praecepta sequitur, numquam nomen pronuntiat in hac oratione, neque potest in fabula, quam Magorum esse finxit, Stoicorum mentionem facere. Borysthenitae enim, Getarum finitimi, qui Phocylidis ne nomen quidem audierunt, Chrysippum nosse verisimile non est. Igitur Geelione adstipulabimur *προσεικάζομεν* proponenti? Minime. Nam apertum est his verbis Dionem aliena ut aliena commemorare, ad sua transire verbis *οὗτος δὲ ὁ λόγος κτλ.* Itaque non expecto Stoicorum nomen, sed tale verbum, ex quo Graecorum humaniores Dionem legentes animadvertere poterant, de Stoicis rem agi. Denique si recordatus sis opponi hoc loco dicendi rationem quae imaginibus utitur ei, quae simpliciter dicit quid sentiat, excusabor fortasse si incidi in *ἀλληγοροῦντες προσεικάζουσι* pro eo quod traditum est *ἅ μήτε τῇ προσεικάζουσι*.

In appendice dicam de uno loco prooemii eius orationis, quam habuit Dio, postquam relictis Borysthenitis Olympiam se contulit, in quo orator nescire se dicit, utrum de Graecorum illorum vita eorumque cum barbaris proeliis agat, an — dummodo dicentis vires tali incepto pares sint — de Iove Olympico, ante cuius templi portas declamabit. Proponit igitur auditoribus duo argumenta, ex quibus unum eligant, his verbis (§ 21):

> *πότερον οὖν ἥδιον ὑμῖν καὶ μᾶλλον ἐν καιρῷ περὶ τῶν ἐκεῖ διηγήσασθαι, τοῦ τε ποταμοῦ τὸ μέγεθος καὶ τῆς χώρας τὴν φύσιν ἢ ἀέρων ὡς ἔχουσι κράσεως καὶ τῶν ἀνθρώπων τοῦ γένους, ἔτι δὲ οἶμαι τοῦ πλήθους καὶ τῆς παρασκευῆς, ἢ μᾶλλον ἅψασθαι τῆς πρεσβυτέρας τε καὶ μείζονος ἱστορίας περὶ τοῦδε τοῦ θεοῦ, παρ' ᾧ νῦν ἐσμεν; (22) οὗτος γὰρ δὴ κοινὸς ἀνθρώπων καὶ θεῶν βασιλεύς τε καὶ ἄρχων καὶ πρύτανις καὶ πατήρ, ἔτι δὲ εἰρήνης καὶ πολέμου ταμίας, ὡς τοῖς πρότερον ἐμπείροις καὶ σοφοῖς ποιηταῖς ἔδοξεν, ἐάν πως ἱκανοὶ γενώμεθα τήν τε φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν δύναμιν ὑμνῆσαι λόγῳ βραχεῖ καὶ ἀποδέοντι τῆς ἀξίας, αὐτά που ταῦτα λέγοντες.*

omnia sana sunt exceptis verbis extremis, quae non modo misere languent sed vix intellegi possunt: Qua re Herwerdenus [2] nuper haec ita conformare studuit *αὐτά που τἀναγκαῖα λέγοντες*. Difficultatem equidem alia via velim removere, in quam me induxit quod vidi conexum sententiarum etiam in sequentibus gravioribus laborare difficultatibus. Legas enim insequentem paragraphum (23):

> *ἆρ' οὖν κατὰ Ἡσίοδον ἄνδρα ἀγαθὸν καὶ Μούσαις φίλον ἀρκτέον, ὡς ἐκεῖνος μάλα ἐμφρόνως οὐκ αὐτὸς ἐτόλμησεν ἄρξασθαι παρ' αὑτοῦ διανοηθείς, ἀλλὰ τὰς Μούσας παρακαλεῖ*

[1] or. LX, 9 cf. Emperii Obs. p. 48

[2] cf. Hermes VII, 76.

διηγήσασθαι περὶ τοῦ σφετέρου πατρός; τῷ παντὶ γὰρ μᾶλλον πρέπον τόδε τὸ ᾆσμα ταῖς θεαῖς ἢ τοὺς ἐπὶ Ἴλιον ἐλθόντας ἀριθμεῖν, αὐτούς τε καὶ τὰ σέλματα τῶν νεῶν ἐφεξῆς, ὧν οἱ πολλοὶ ἀνόητοι ἦσαν· καὶ ποιητὴς σοφώτερός τε καὶ ἀμείνων ὁ παρακαλῶν ἐπὶ τοῦτο τὸ ἔργον ὧδέ πως.

sequitur initium Hesiodeorum operum et dierum. Concedes hoc dicere Dionem, incipiendam esse orationem cum Hesiodo i. e. repetendos esse primum illius poetae versus ad celebrandum Iovem scriptos. Haec sententia licet per se optima sit valdeque apta ei orationi, in qua Iovis laudes explicantur, tamen in ea parte orationis ineptissima est, in qua nondum de tractando argumento constat. Nemo enim orationem incipit, priusquam de qua re sibi dicendum sit sciverit. Id autem nescit hoc tempore Dio, nam § 25 iterum ex Elidensibus, penes quos de hac re decernendi arbitrium positum sit, quaerit, utrum Iovis laudes audire an spectatores tantummodo velint esse artis Phidiacae ludorum participes (§ 25):

ὑπολαβόντες οὖν εἴπατε, πότερον ἁρμόζων ὁ λόγος οὗτος [ἢ τὸ ᾆσμα[1]] τῇ συνόδῳ γένοιτ' ἄν, ὦ παῖδες Ἠλείων (ὑμεῖς γὰρ ἄρχοντες καὶ ἡγεμόνες τῆσδε τῆς πανηγύρεως ἔφοροί τε καὶ ἐπίσκοποι τῶν ἐνθάδε ἔργων καὶ λόγων) ἢ δεῖ θεατὰς εἶναι μόνον τοὺς ἐνθάδε ἥκοντας τῶν τε ἄλλων δῆλον ὅτι παγκάλων καὶ σφόδρα ἐνδόξων θεαμάτων κτλ.

Iam vero non expectabimus (neque enim dialogum scripsit Dio) ipsos Elidenses responsuros esse. Sed quasi adnuentibus illis ipse orator quaestionem solvit cum dicat (§ 26, 11 Emp.):

ἢ καὶ περὶ αὐτῶν τούτων σκεπτέον ἡμῖν ἐπιμελέστερον τῶν τε ποιημάτων καὶ ἀναθημάτων καὶ ἀτεχνῶς εἴ τι τοιουτότροπόν ἐστι τὴν ἀνθρωπίνην περὶ τοῦ δαιμονίου δόξαν ἀμηγέπη πλάττον καὶ ἀνατυποῦν, ἅτε ἐν φιλοσόφῳ διατριβῇ τὰ νῦν

ubi ἢ eodem modo responsum inducit, ut e. g. or. 32, 76 (ἢ δῆλον). Igitur sibi ipse respondet Dio non esse tantummodo oculis spectandas statuas Olympiae pie erectas, sed de his rebus (i. e. de admirandis artis monumentis) [1]) disserendum et quaerendum, num ex his de deorum natura aliquid discere possimus. Atque post extrema verba huius responsi aliquid excidisse Geelius suspicatus est. Excidit, sed non periit. Animadvertas enim, quam varie haec oratio transpositis ut videtur archetypi foliis turbata sit. Velut ἄλλο — ἀοίδιμον a suo loco (§ 26) aberravit ad § 17. Optime sedi genuinae restituit Emperius. Item ὁρῶ μὲν — λόγους in § 43 aliunde irrepsit, de quorum verborum non item mihi profligavit dubitationes Emperius, qui ea ante § 27 posuit. Sed hoc lucrari mihi videor ex omnibus his contextus perturbationibus: non videbor nimis audax, si §§ 23 (inde a verbis αὐτά που) et 24 transponendas esse post verba διατριβῇ τὰ νῦν contenderim. Videas enim quam bene haec coalescant:

ἢ καὶ περὶ αὐτῶν τούτων σκεπτέον ἡμῖν ἐπιμελέστερον τῶν τε ποιημάτων[2]) καὶ ἀναθημάτων καὶ ἀτεχνῶς εἴ τι τοιουτότροπόν ἐστι τὴν ἀνθρωπίνην περὶ τοῦ δαιμονίου δόξαν ἀμηγέπῃ πλάττον καὶ ἀνατυποῦν, ἅτε ἐν φιλοσόφῳ διατριβῇ τὰ νῦν αὐτά που ταῦτα λέγοντες. ἆρ' οὖν καθ' Ἡσίοδον ἄνδρα ἀγαθὸν καὶ Μούσαις φίλον ἀρκτέον, ὡς ἐκεῖνος κτλ. Verba αὐτά που ταῦτα, quae § 23 sensu carebant, nunc apertum est, quid significent. Idem videlicet, quod verba περὶ αὐτῶν τούτων, ad quae artissime se adplicant: haec ipsa artis monumenta non solum intuenda sed etiam disputandum esse de eis, quippe de his ipsis nunc philosophantibus. Hesiodei autem de Iove versus nunc postquam de Iove disserere convenit, suo loco leguntur.

---

[1]) haec verba delenda esse ex nostra disputatione sequitur.

[2]) de statuis tantummodo dixit, quare num ποιημάτων (quod statuarum titulos vix significare potest) scripserit Dio, valde dubito. Expectas ἀγαλμάτων, πλασμάτων, θεαμάτων, tale quid.

II.

In extrema parte librorum de Generatione et corruptione[1]) Aristoteles quaestionem movit, quae multum philosophos vexavit, qui post eum vixerunt, utrum in continua rerum generatione ex necessitate quaedam fiant, an omnia possint etiam non fieri. Atque primum, ut solet, communem verborum sensum secutus rem exponit. De qua enim re verum dicimus *ὅτι ἔσται* dicentes, de eadem cum veritate aliquando contendemus *ὅτι ἔστι*; sed idem non valet de locutione *ὅτι μέλλει*. Sunt enim quae possint et esse et non esse, unde sequitur esse etiam quae possint et existere et non existere; atque quaeritur utrum omnia quae gignuntur eius modi sint, an sint etiam quae necessario gignantur. Sunt autem. Nam sunt tales sive rerum sive factorum quasi vinculo catenatae inter se coniunctiones, in quibus posito altero prius necesse est antecessisse, velut aedificata domo necesse est fundamentum antea iactum sit. Sed oritur quaestio, num etiam inverso ordine haec conclusio valeat. Non valet. Nam etsi semper ex necessario altero sequitur prius, ex priore tum demum sequetur posterius, si hoc posterius per se oriundum est ex necessitate.

Sequuntur verba, quae apud Bekkerum (337 b 25). sic leguntur:

> *εἰ μὲν οὖν εἰς ἄπειρον εἶσιν ἐπὶ τὸ κάτω, οὐκ ἔσται ἀνάγκη τὸ ὕστερον τόδε γενέσθαι ἁπλῶς. ἀλλ' οὐδ' ἐξ ὑποθέσεως· ἀεὶ γὰρ ἕτερον ἔμπροσθεν ἀνάγκη ἔσται, δι' ὃ ἐκεῖνο ἀνάγκη γενέσθαι. ὥστ' εἰ μή ἐστιν ἀρχὴ τοῦ ἀπείρου, οὐδὲ πρῶτον ἔσται οὐδέν, δι' ὃ ἀναγκαῖον ἔσται γενέσθαι.*

Addo dissentire codicem E et titulum capiti XXII libri II Alexandri Quaestionum praescriptum, ubi *οὐδ'* omissum est.

Haec sententia ad verbum vertenti ita fere reddenda erit: „si in infinitum abit (generatio) deorsum versa (i. e. generatio rerum futurarum, cf. 338 a 8), non necesse erit certum posterius absolute fieri. Sed ne hypothesi quidem facta. Semper enim aliud necessario antecedere debet, quo illud fieri necesse est. Itaque si deest infinitae seriei initium, ne primum quidem erit aliquid, per quod necesse erit illud existat." De his verbis multum laborasse veteres neque mirum est et patet ex Philoponi commentario et ex brevi Alexandri interpretatione servata in Quaestionum II, 22.

Primum igitur ut par est ad optimum hunc ducem refugiemus, Alexandrum dico. Sed in Aristotele nonnulla obscura sunt, Alexandri vero verba tam densa obruta sunt caligine, ut cum plagulas editionis meae corrigerem, plane desperarem et verba multifariam corrupta intacta relinquerem. Propono ea nunc talia, qualia in Veneto codice, unico Quaestionum fonte, tradita sunt. Etiam Spengelius Quaestionum editor in hoc capite nesciendi arte usus est.

> XXII. *Ἐξήγησις λέξεως ἐκ τοῦ δευτέρου περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς Ἀριστοτέλους ἄλλως ἔχουσα παρὰ τὴν ἐν τῷ εἰς αὐτὸ ὑπομνήματι· ἡ δὲ λέξις ἐστὶν ἥδε· Εἰ μὲν οὖν εἰς ἄπειρον εἶσιν ἐπὶ τὸ κάτω, οὐκ ἔσται ἀνάγκη τὸ ὕστερον τόδε γενέσθαι ἁπλῶς, ἀλλ' ἐξ ὑποθέσεως· ἀεὶ γὰρ ἕτερον ἔμπροσθεν ἀνάγκη ἔσται, δι' ὃ ἐκεῖνο ἀνάγκη γενέσθαι.*

[1]) De gen. et corr. II, 11 337 a 34.

Εἰ ἐν οἷς τὸ ὕστερον ἐξ ἀνάγκης, ἐν ἐκείνοις μόνοις ἀληθὲς δειχθείη τὸ[1]) *»εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«, ἐπὶ δὲ τῆς εἰς ἄπειρον γενέσεως οὐκ ἔστι τὸ ὕστερον ἐξ ἀνάγκης τῷ μηδὲ γίνεσθαι τὸ αὐτό, οὐδ' ἂν πρὸ τοῦ ἐσχάτου γινομένου ἁπλῶς ἄν τι ἐξ ἀνάγκης γίνοιτο τῷ μόνως τὰ μεταξὺ τοῦ τελευταίου τὸ ἀναγκαῖον ἁπλῶς ἔχειν παρὰ τοῦ τέλους, εἰ*[2]) *τοῦτο ἁπλῶς τὸ γινόμενον ἐξ ἀνάγκης. εἰ γὰρ ἐκεῖνο ἐξ ἀνάγκης ἁπλῶς, τότε καὶ τὰ πρὸ αὐτοῦ ἐξ ἀνάγκης ἔσται, τῶν μεταξὺ τοῦ τε*[3]) *ἐπ' ἄπειρον γινομένου ἕκαστον ἐξ ὑποθέσεως τὸ ἀναγκαῖον ἔχον. εἰ γὰρ τὸ μὲν ταὐτὸ ἔσται, δεῖ καὶ τοῦτο ὂν πρὸ αὐτοῦ, καὶ ὁμοίως πάλιν ἐκεῖ τὸ*[4]) *ἀναγκαῖον ἕξει*[5]), *γὰρ*[6]) *ἐκεῖνο ἔσται ἐξ ἀνάγκης, εἰ τὸ μετὰ τοῦτο, καὶ οὕτως προϊόντων, ἐπεὶ μηδὲν ἔσχατόν ἐστι τοῦ ἀπείρου ἐξ ἀνάγκης μέλλοντος γίνεσθαι, ἁπλῶς ἐξ ἀνάγκης ἐγίνετο καὶ τὰ πρὸ αὐτοῦ οἷς πάλιν ἐξ ἀνάγκης γινομένοις εἵπετο καὶ τὸ τελευταῖον ἐξ ἀνάγκης γίνεσθαι, εἰ τὰ πρῶτα. οὐκέτ' ἐπὶ τῶν οὕτω γινομένων ἔσται λαβεῖν τὴν τοιαύτην ἀκολουθίαν τὴν εἰ*[7]) *τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον. τὸ δὲ ὥστε εἰ μὴ ἔστιν ἀρχὴ τοῦ ἀπείρου, οὐδὲ τὸ πρῶτον ἔσται*[8]), *δι' ὃ ἀναγκαῖον ἔσται γενέσθαι, ἴσον ἐστὶ τῷ „ὥστε εἰ μὴ ἔστι τέλος τοῦ ἀπείρου"· ἀρχὴν γὰρ νῦν τὸ τέλος εἶπεν, ἐπεὶ ἀπὸ τοιούτου ἀρχῆ, εἰ*[9]) *ἀναγκαίως γίνοιτο τὸ καὶ τὰ*[10]) *πρὸ αὐτοῦ πάντα ἐξ ἀνάγκης ὀφείλειν γίνεσθαι. εἰ δὲ μὴ ἔστι τοῦτο, οὐδὲ ἡ ἀκολουθία αὕτη ἐπ' αὐτοῦ ἀληθής ἐστιν ἡ λέγουσα »εἰ τὸ πρῶτον, τὸ ὕστερον«, τῷ τὴν τοιαύτην ἀκολουθίαν ἀληθῆ γίνεσθαι ἐν οἷς ἐστί τι ἔσχατον ἐξ ἀνάγκης γινόμενον τῷ ἕπεσθαι τοῦτο τῷ ἐξ ἀνάγκης γινομένῳ τὰ καὶ πρὸ αὐτοῦ ἐξ ἀνάγκης τε γίνεσθαι καὶ ἀληθὲς εἶναι ἐφ' ἑκάστου αὐτῶν τὸ »εἰ τὸ πρῶτον, καὶ τὸ ὕστερον«. ἀνάγκη γάρ, εἰ μέλλοι ἡ τοιαύτη ἀκολουθία ἀληθὴς ἔσεσθαι, εἶναί τι πέρας ἐν τοῖς λαμβανομένοις. Ὅτι δ' ἀρχὴν καὶ τὸ πέρας λέγει, ἔδειξεν δι' ὧν μετ' ὀλίγον εἶπεν οὕτως, τούτων δ' εἴπερ ἔσται ἀίδιος, οὐκ εἰς εὐθὺ οἷόν τε διὰ τὸ μηδαμῶς εἶναι ἀρχὴν μήτ' ἂν κάτω, ἐπὶ*[11]) *τῶν ἐσομένων λαμβανομένων, μήτ' ἂν ἄνω ἐπὶ τῶν γινομένων. τὸ γὰρ μήτ' ἂν κάτω ἐπὶ τῶν ἐσομένων τῆς ὡς πέρατος ἀρχῆς ἐστι δηλωτικόν. τὴν μὲν οὖν κάτω δεῖ εἶναι ἀρχήν, εἰ μέλλοι τὸ ἁπλῶς ἀναγκαῖον ἕξειν τὰ γινόμενα, ὅτι τῷ τοῦτο ὑποκεῖσθαι ἁπλῶς ἀναγκαίως ἔσεσθαι τούτῳ ἀληθὲς ἐγίνετο »εἰ τὸ πρῶτον ἐξ ἀνάγκης, καὶ τὸ ὕστερον«, τὴν δὲ ἄνω, ὅτι οὕτω δυνησόμεθα λαβεῖν τὸ »εἰ τὸ πρῶτον, τὸ ὕστερον«.*

Primum apparet *τὸ* ante *αὐτὸ* delendum esse. Nam hoc dicit Alexander: „si in eis tantum, in quibus necessitati debetur posterius, valet illud »posito priore sequitur posterius«, in generatione autem infinita posterius non est, quia omnino ne gignitur quidem hoc posterius, — (sequitur apodosis)". Habes igitur cum Philopono consentientem Alexandrum. Uterque negat posterius inveniri in infinita generatione, quippe quae funditus perturbata atque confusa sit nec lege aut ratione procedat. Cf. Philoponum (67 v 6 a fine): *ἐπὶ δὲ τοῦ ἀπείρου οὐκ ἔστι τὸ πρῶτον καὶ τὸ ὕστερον. ἄναρχον γὰρ καὶ ἀπεράτωτον* et (68 v 4 a fine) *ἐν δὲ τῷ ἀπείρῳ οὐκ ἔστι τὸ πρῶτον καὶ τὸ ὕστερον λαβεῖν.*

Sequentia autem diu restiterunt conatibus meis, usque exoptata lux inde effulsit, quod intellexi infinitae seriei[12]) membra, quae intercedunt inter suppositum primum et extremum, fuisse Alexandro *τὰ*

[1]) *δειχθείη τὸ* coni. Sp : *δειχθῇ τὸ* (ι subscr. v. c.) V : *δειχθήτω* a [2]) *εἰ* Sp.: *εἴη* V: *εἴη* a [3]) *τε* del Sp. [4]) *ἐκεῖ τὸ* V: *ἐκεῖνο* Sa: *ἐκεῖνο τὸ* Vict. [5]) *ἕξει*] *ει* s. v. V [6]) ⟨*καὶ*⟩ *γὰρ* Sp. [7]) *εἰ* Sp.: *εἰς* libri. [8]) *τὸ — ἔσται*] *πρῶτον ἔσται οὐδὲν* Arist. [9]) *εἰ* Sp.: *εἴη* sic V: *εἴη* a [10]) *τὸ καὶ τὰ* Sp.: *τοῦ καὶ τὸ* libri. [11]) *κάτω ὡς ἐπὶ* Vict. et Arist. [12]) sit venia barbarae voci, quam brevitatis causa ipse formavi.

μεταξὺ τοῦ ἀπείρου γινομένου et v. 4 et v. 6. Nunc confidenter scribo οὐδ' ἂν . . τῷ μόνως τῶν μεταξὺ τὸ τελευταῖον et τῶν μεταξὺ τοῦ [τε][1]) ἀπείρου. Prioris igitur enuntiati haec est apodosis: „Nihil necessario fit ante extremi totius seriei membri ortum, quia tantum modo extremum membrum mediae seriei (i. e. id membrum, quod extremum totius seriei praecedit) necessitatem ἁπλῶς accipit a fine, si quidem hoc extremum tantummodo necessario gignitur." Moneo autem hanc argumentationem intellegi non posse, nisi animadverteris concludere quidem Alexandrum ex placito Aristoteleo ἐν οἷς τὸ ὕστερον ἐξ ἀνάγκης, ἐν ἐκείνοις μόνοις ἀληθὲς τὸ »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«, ita vero, ut consulto hoc quidem disputationis tempore neglecto alio Aristotelis praecepto et finem sibi sumat esse infinitae seriei et initium. Breviter comprehendam totius argumentationis initium: Adplicata Aristotelis sententia ad infinitam seriem efficitur, ut omnium eius membrorum illud tantum, quod extremum praecedit, necessario gignatur. Nam e necessario posteriore pendet prioris necessitas. Atqui in infinita serie posterius non invenitur, nisi extremum. Igitur illud tantum necessarium est.

Nunc videas, quomodo obscurato sensu huius periodi saevierit in sequentibus librariorum inscitia, qui τοῦ ἐπ' ἄπειρον γιγνομένου pendere a τῶν μεταξὺ cum non intellegerent, primum τε particula separaverunt cohaerentia. Deinde μὲν ταὐτὸ et τοῦτο eis debetur, qui non videbant concludi hoc loco praecedentis membri necessitatem ex posteriore. Tum excidit ante γὰρ ea vox, quae antecedens ὁμοίως certis finibus circumscripserat. Insulsissime autem peccaverunt, cum verba ἐπεὶ μηδὲν κτλ. (v. 9), quae praemissam argumentationem refutare debebant, quasi causam huic adnecterent. Unde porro factum est, ut huius periodi protasis corrumperetur et apodoseos initium obscuraretur. Sed melius erit, sanatam Alexandri argumentationem iterum propositam commentario persequi, quo apparebit haec minoribus exceptis, de quibus dubitatio restat, non posse aliter scribi.

Εἰ ἐν οἷς τὸ ὕστερον ἐξ ἀνάγκης, ἐν ἐκείνοις μόνοις ἀληθὲς δειχθείη τὸ »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«, ἐπὶ δὲ τῆς εἰς ἄπειρον γενέσεως οὐκ ἔστι τὸ ὕστερον ἐξ ἀνάγκης τῷ μηδὲ γίνεσθαι [τὸ] αὐτό, οὐδ' ἂν πρὸ τοῦ ἐσχάτου γινομένου ἁπλῶς ἄν τι ἐξ ἀνάγκης γίνοιτο τῷ μόνως τῶν μεταξὺ τὸ τελευταῖον τὸ ἀναγκαῖον ἁπλῶς ἔχειν παρὰ τοῦ τέλους, εἰ τοῦτο ἁπλῶς τὸ γινόμενον ἐξ ἀνάγκης. εἰ γὰρ ἐκεῖνο ἐξ ἀνάγκης ἁπλῶς, τότε καὶ τὰ πρὸ αὐτοῦ ἐξ ἀνάγκης ἔσται. τῶν μεταξὺ τοῦ [τε] ἐπ' ἄπειρον γινομένου ἕκαστον ἐξ ὑποθέσεως τὸ ἀναγκαῖον ἔχον. εἰ γὰρ τὸ ἓν τοιοῦτο ἔσται, δεῖ καὶ τοιοῦτο εἶναι τὸ πρὸ αὐτοῦ, καὶ ὁμοίως πάλιν ἐκεῖνο τὸ[2]) ἀναγκαῖον ἕξει· <ἁπλῶς> γὰρ ἐκεῖνο ἔσται ἐξ ἀνάγκης, εἰ τὸ μετὰ τοῦτο, καὶ οὕτως προϊόντων. ἐπεὶ <δὲ> μηδὲν ἔσχατόν ἐστι τοῦ ἀπείρου, <οὐ ἁπλῶς> ἐξ ἀνάγκης μέλλοντος γίνεσθαι, ἁπλῶς ἐξ ἀνάγκης ἐγίνετο καὶ τὰ πρὸ αὐτοῦ, οἷς πάλιν ἐξ ἀνάγκης γινομένοις εἵπετο καὶ τὸ τελευταῖον ἐξ ἀνάγκης γίνεσθαι, εἰ τὰ πρῶτα, οὐκέτ' ἐπὶ τῶν οὕτω γινομένων ἔσται λαβεῖν τὴν τοιαύτην ἀκολουθίαν τὴν »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«.

Sciens igitur Alexander falso usus erat argumentandi fundamento. Inde postquam infinitae seriei paenultimo membro sumpsit ex ultimo necessitatem absolutam redundare, pergit: Nam si illud paenultimum ἁπλῶς ἐξ ἀνάγκης est, ex necessitate erunt ea quoque membra infinitae seriei, quae sunt ante paenultimum, ita ut singula suppositione (ἐξ ὑποθέσεως) necessitatem habeant. Nam si unum tale est (i. e. ἐξ ἀνάγκης) necesse est sit etiam antecedens tale; ἐξ ἀνάγκης igitur. Sed non solum ἐξ ἀνάγκης erit,

[1]) τε alia de causa Spengelio quoque delere placuit.
[2]) ita in Victoriano quoque scriptum est.

sed etiam eodem modo necessitatem habebit. Absolute *(ἁπλῶς)* enim erit *ἐξ ἀνάγκης*, si quidem absolute necessarium erat sequens; et ita procedet conclusio.

Nunc demum omnem hanc argumentationem comperimus esse ex earum numero, quas dicunt ad absurdum. Dilabitur fundamentum quo nisa erat. Pergit enim „sed quia in infinita serie nihil ultimum est, ex cuius origine per se necessaria pendeat et praecedentium necessitas et eius quo finitur media series, haec quoque a posteriore suspensa, patet locum non esse in hac generatione illius conclusionis, ex qua profectus erat, *εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον*.

Iam vero unum statim sequitur ex hac interpretationis parte post mala fata denuo intellegibili, corruptum esse etiam titulum huius capitis, in quo verba Aristotelis dixi consentire cum codice E. Sed non hanc lectionem Alexander interpretatur, sed eam quam Bekkerus recepit: *ἀλλ' οὐδ' ἐξ ὑποθέσεως*. Vidimus enim argumentationem usque ad *προιόντων* ficticiis uti praemissis, cum pendeat ex necessario fine infinitae seriei. Hoc posito *(ἐξ ὑποθέσεως)* cum paenultimo antecedentia necessaria esse concludebatur. Sed legentes se hactenus lusisse philosophus confitetur. Negatur igitur cum fine infinitae seriei etiam *ὑπόθεσις* illa necessarii finis et hoc quoque cum Philopono negat Alexander: in hac generatione aliquid *ἐξ ὑποθέσεως* necessarium esse. Vides autem, quo tendat omnis haec Alexandri argumentatio. Non inveniri demonstraturus in infinita generatione talem rerum conexum, quarum posterior ex priore cum necessitate creetur, cum Aristotele ponit in eis tantum hunc licere statuere, in quibus posterius necessario per se nascatur. Atqui infinita series fine caret. Non est igitur posterius. Itaque ne ponere quidem licet posterius. Inde sequitur non locum esse rerum tali modo copulatarum in hac generatione, ut a priore posterior necessario gignatur, ne *ἐξ ὑποθέσεως* quidem.

Iam vero non fugit summum interpretem non plane consentire cum hac explicatione verba Aristotelis, quae addita sunt: *ἀεὶ γὰρ ἕτερον ἔμπροσθεν ἀνάγκη ἔσται, δι' ὃ ἐκεῖνο ἀνάγκη γενέσθαι. ὥστ' εἰ μὴ ἔστιν ἀρχὴ τοῦ ἀπείρου, οὐδὲ πρῶτον ἔσται οὐδέν, δι' ὃ ἀναγκαῖον ἔσται γενέσθαι.* Nam non, ut debebat secundum Alexandrum, finem deesse urget Aristoteles, sed initium. Cui incommodo ratione paullo audaciore conatus est ille mederi. Sumit enim initium hoc loco idem esse atque finem *(ἀρχὴν γὰρ νῦν τὸ τέλος εἶπεν* 12—16*)*. Atque uberiorem iterum ex hac verbi *ἀρχὴ* interpretatione Aristotelei praecepti paraphrasim proponit (16—21) Procedere enim, quasi ab initio, a fine seriei argumentationem, ut praecedentia necessaria demonstrentur. Quae nisi necessaria demonstrata sint, non valere *τὸ »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον.«* Nam in eis tantum hoc valere secundum Aristotelem, quorum posterius necessarium sit. Pendere igitur ex necessario ultimo et necessitatem priorum et in singulis duorum membrorum copulationibus veritatem *τοῦ »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«*. Quod ut verum reddatur necesse esse finem deprehendi posse. Diligenter autem circumspicienti quo interpretationem insolitam firmet, verba se obferunt 338 a 6 *τούτων δ' εἴπερ ἔσται ἀΐδιος, οὐκ εἰς εὐθὺ οἷόν τε διὰ τὸ μηδαμῶς εἶναι ἀρχὴν μήτ' ἂν κάτω ἐπὶ τῶν ἐσομένων λαμβανομένων μήτ' ἂν ἄνω ἐπὶ τῶν γιγνομένων.* Ibi enim et principium et exitum initium vocari (21—25).

Denique autem principia illa et finale et initiale inter se comparavit Alexander et quomodo utroque stabilito opus sit ad veritatem demonstrandam *τοῦ »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«)* verbis docet extremis, quae unum vitium nunc obscurat: *ἔσεσθαι* enim corruptum est. Scribas *τὴν μὲν οὖν κάτω δεῖ εἶναι ἀρχήν, εἰ μέλλοι τὸ ἁπλῶς ἀναγκαῖον ἕξειν τὰ γινόμενα, ὅτι τῷ τοῦτο ὑποκεῖσθαι ἁπλῶς ἀναγκαίως ἕπεσθαι τούτῳ ἀληθὲς ἐγίνετο* <*τὸ*> *»εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης καὶ τὸ ὕστερον«, τὴν δὲ ἄνω, ὅτι οὕτω δυνησόμεθα λαβεῖν τὸ« εἰ τὸ πρῶτον τὸ ὕστερον.* Hoc enim dicit — difficile autem enuntiatum quam

accuratissime vertam —: Finale principium esse debet, ut nascentia necessitatem absolutam habeant, quia *τὸ »εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον«* eo verum factum est, quod sequebatur ex illius absoluta necessitate, initiale autem, quia sic tantum deprehendere possumus *τὸ „εἰ τὸ πρῶτον, ἐξ ἀνάγκης τὸ ὕστερον.“* Vides quam callide extremis verbis occuluerit etiam initio opus esse ad hanc necessitatem.

Sed de hac interpretatione priusquam indicabimus, iuvabit antea videre, quanam via Philoponus Aristotelis sensum extricare studuerit. Bis ille de necessitate quae est *ἐξ ὑποθέσεως* disputavit. Primum 67ᵛ27, ubi haec dicit *διττοῦ ὄντος τοῦ ἀναγκαίου, τοῦ μὲν ἁπλῶς λεγομένου ἀναγκαίου καθ' ὅ φαμεν τῷ προτέρῳ τὸ δεύτερον ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖν, τοῦ δὲ ἐξ ὑποθέσεως, καθ' ὃ τοῦ δευτέρου ἐκβεβηκότος ἐξ ἀνάγκης τὸ πρότερον ὑπέστη.* Leguntur haec verba in ea parte disputationis Philoponeae, quae secundum morem interpretis haud spernendum quasi prooemium continet universae quaestionis, de qua agitur extremo Aristotelis capite. Noli tamen inde dubitationem repetere, num etiam ad verba *ἀλλ' οὐδ' ἐξ ὑποθέσεως* Aristotelis pertineat haec explicatio. Ea enim commentarii parte, qua haec ipsa verba ornavit, iteratur (68ᵛ7 a fine):

> *καὶ τέως δείκνυσιν, ὅτι εἰ ὑπόκειτο εὐθεῖα ἄπειρος, εἶτα ἐπὶ τῆς αὐτῆς τινα κινούμενα ἢ μεταβάλλοντα, ἀδύνατον τούτοις ὑπάρξαι τὸ ἁπλῶς ἀναγκαῖον. εἰ γὰρ τῷ πρώτῳ ὄντι τὸ ὕστερον ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖ διὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἔχον τὸ ἀναγκαῖον. ἐν δὲ τῷ ἀπείρῳ οὐκ ἔστι τὸ πρῶτον καὶ τὸ ὕστερον λαβεῖν, πρόδηλον ὡς οὐκ ἔσται ἐπὶ τούτων τὸ ἁπλῶς ἀναγκαῖον, ἀλλ' οὐδὲ τὸ ἐξ ὑποθέσεως, ὡς λέγει· ὅπερ ἦν εἰ τὸ ὕστερον, καὶ τὸ πρότερον ἐξ ἀνάγκης. εἰ οὖν μὴ ἔστιν ἐν τῇ ἀπείρῳ εὐθείᾳ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον, οὐ μόνον τὸ ἁπλῶς ἀναγκαῖον οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῇ, ἀλλ' οὐδὲ τὸ ἐξ ὑποθέσεως διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν.*

Itaque ne Philoponus quidem lectionem *ἀλλ' ἐξ ὑποθέσεως* novit, sed idem interpretatur quod explicavit Alexander, ratione vero plane diversa. Negasse enim ei videtur Aristoteles, cum necessitate concludi posse in infinita generatione ex posteriore prius. Quae sententia quam absurda sit clarius patebit, si eo exemplo utemur, quo solet hoc generationis genus notare Aristoteles. Hoc enim negantem facit Philoponus Aristotelem, filio nato concludi posse fuisse huius filii patrem! Causam autem fuisse, ut ita iudicaret, Aristoteli summam in infinita generatione perturbationem, in qua ne deprehendi quidem posset prius atque posterius. Denique Aristotelis sententiam ita explicatam non veritus est impugnare: (69ᵃ1) *ἰστέον δὲ ὅτι δοκεῖ μὴ κατωρθωμένον εἶναι τὸ τοιοῦτον ἐπιχείρημα.* Sed has criminationes futiles per se neque ex ipsa Philoponi interpretatione aptas nunc mitto. Neque interpretatio Philoponi diu nos morabitur, cum ipse Aristoteles 338ᵇ9 aperte dicat *οὐ γὰρ ἀνάγκη, εἰ ὁ πατὴρ ἐγένετο, σὲ γενέσθαι· ἀλλ' εἰ σύ, ἐκεῖνον,* neque agatur hoc loco de concludendi, sed de gignendi necessitate.

Redeamus igitur ad Alexandrum, cuius interpretationis summa haec erat: non posse in infinita serie necessarium poni ultimum; igitur non redundare ab ultimo necessitatem ad priora; igitur non esse in hac serie prius, ex quo cum necessitate sequatur posterius. Nam non sequitur hoc, nisi per se necessarium est posterius. Quam interpretationem ea subtilitate expolitam esse, quam expectamus in viro artis dialecticae peritissimo, nemo negabit, neque aequo animo dimicarem cum Alexandro de interpretando Aristotele, nisi viderem eum ipsum de verborum Aristoteleorum explicatione dubitasse. Tituli enim verba *ἐξήγησις λέξεως ἄλλως ἔχουσα παρὰ τὴν ἐν τῷ εἰς αὐτὸ ὑπομνήματι* aliam interpretationem indicant propositam fuisse in commentario.

Atque hoc primum notaverim, ea quae Alexander de significatione *τῆς ἀρχῆς* dicit, vim inferre verbis Aristotelis. Illum enim ubi de fine simul atque initio generationis agit, non mirum est *ἀρχῆς*

(principii) nomine uti (388^{a}6), si vero solum de fine disputare voluisset 337^{b}28, non poterat hoc vocare initium. Accedit quod id, cui *ἀρχῆς* nomen imposuit, non sequi sed ‚praecedere‘ dixit et ‚antea‘ esse. Gravissimum autem est, quod verbis *ἀλλ' οὐδ' ἐξ ὑποθέσεως* non potest Aristoteles ad posterius respexisse, sed intellegi debent de priore. Grammatica enim ratio postulat — id quod nemo negabit, qui non praeoccupatus ad hanc quaestionem accedit —, ut post praecedentia verba *οὐκ ἔσται ἀνάγκη τὸ ὕστερον τόδε γενέσθαι ἁπλῶς,* ad ea quae statim sequuntur *ἀλλ' οὐδ' ἐξ ὑποθέσεως* mente suppleatur *ἀνάγκη τὸ ὕστερον τόδε γενέσθαι ἁπλῶς.* Unde consentaneum est, verba *ἐξ ὑποθέσεως* non posse significare „posito posteriore“. Posterius enim, de cuius necessitate quaeritur, non potest idem necessarium poni. Quare ad prius referenda est hypothesis, non ad posterius. Quod si verum est, corruit Alexandri argumentatio. Hoc enim dicit Aristoteles: Ne supponere quidem licet id prius, ex quo necessario pendeat posterius. Nam semper recedere oporteret. Semper enim ponendum prius aliud prius praecedet, ex quo illius necessitas consequatur; quorum ponendorum priorum series quia in infinitum abit, *πρῶτον οὐκ ἔσται οὐδέν, δι' ὃ ἐκεῖνο ἀναγκαῖον γενέσθαι.* Igitur haec verba et congruere mihi videntur cum prioribus etiam neglecta audaciore Alexandri *ἀρχῆς* interpretatione neque contra universam huius capitis doctrinam pugnare. Dividit enim Aristoteles omnem generationem in duas partes, quarum altera ea continet, quae recta via *(καθ' εὐθύ)* propagantur, altera ea, quae orbis instar procedunt. Huius generis caelestia sunt et ea, quae pendent a caelestibus redeuntia certis temporibus, orbiculari motu circumlata, aeternitate praedita, nascentia ex necessitate. Illa comprehenduntur et finita et infinita. Atque de caelestibus disputat inde a 337^{b}33, de prioris generis finitis ib. 29—32. Haec qualia sint optime illustratur exemplo, quo solet ea repraesentare Aristoteles, fundamentum dico et domum. Atque aedificata domo necessario concludi fundamentum antea iactum esse in propatulo est. Sed hanc conclusionem neque negat Aristoteles neque accuratius exposuit. Contra negat, etiamsi aedificata sit domus, recte contendi eam cum necessitate ex fundamento ortam esse, quod negare debuit, quia necessariam generationem eandem esse atque aeternam paullo post docet. Numquam igitur earum rerum, quae et recta via procedunt et finitae sunt, origo necessaria est. Fac enim necessario aedificata sit domus: si non semper aedificari debuerat, efficietur ut eiusdem rei et contendatur et negetur aeternitas (337^{b}32). Sed quaerat fortasse quispiam, cur non huius quoque generationis et rectae et finitae Aristoteles negaverit hypotheticam quam dicit necessitatem. Quod mihi quidem ideo noluisse videtur, quia poni nequit prius necessarium, ex quo posterius necessario consequatur, nisi de eis, quae gignendi principium in se habent. Quod si poneres in finitis, nihil inde sequeretur.

Restant enim quae, cum fine careant et recta via procedant, gignendi facultate praedita sunt, quorum sollemne exemplum est pater et filius. Haec ea necessitate destituta esse, quae in caelestibus tantum regnat, non mirabimur neque unquam hac necessitate nascitur filius. Quare hoc quoque negatur, etsi supponentibus nobis filium quendam ex patre natum esse, cum necessitate eum natum esse. Illustrabit fortasse hanc hypotheticam necessitatem de Somno et vigilia 455^{b}26, ubi haec legimus: *ὥστε ἀναγκαῖον ἑκάστῳ τῶν ζῴων ὑπάρχειν τὸν ὕπνον. λέγω δ' ἐξ ὑποθέσεως τὴν ἀνάγκην, ὅτι εἰ ζῷον ἔσται ἔχον τὴν αὑτοῦ φύσιν, ἐξ ἀνάγκης τιν' ὑπάρχειν αὐτῷ δεῖ. καὶ τούτων ὑπαρχόντων ἕτερα ὑπάρχειν.* Somnus igitur necessarius esse dicitur *ἐξ ὑποθέσεως,* quia posito homine necesse est simul somnum esse. Nonne eadem necessitate ex homine somnus nascitur et ex patre filius, si quidem utrumque posuerimus? Minime. Eo differunt enim et homo somni causa et pater filii, quod si hominem posuisti, omnem quasi exhausisti somni fontem. Patrem non potes eodem modo ponere ita ut omnes


filii quasi radices ex humo solvas. Haeret enim in serie, et si unum posuisti, ut a necessario procedas ad necessarium, alium secum trahet, cuius ipse filius est. ille vero patrem patris, ita autem res in infinitum abit. Nam ut tandem Aristoteles finem imponat: *ἀεὶ γὰρ ἕτερον ἔμπροσθεν ἔσται, δι' ὃ ἐκεῖνο ἀνάγκη γενέσθαι. ὥστ' εἰ μή ἐστιν ἀρχὴ τοῦ ἀπείρου, οὐδὲ πρῶτον ἔσται οὐδὲν, δι' ὃ ἀναγκαῖον ἔσται γενέσθαι.*

Sed relinquamus nunc penetralia haec Aristoteliae doctrinae, in quae mecum descendisse paucis gratum videbitur. Ad laetiora vocamur.

Appropinquat dies faustissimus, quo Augustissimus ac Clementissimus Princeps, Germanorum Imperator Rex Borussiae GVILELMVS II lucem adspexit. Hunc diem exoptatissimum cum universa patria academia nostra votis pientissimis salutabit. Indicenda igitur sunt sollemnia, quae ab universitate Christiana Albertina in magna aula die XXVII mensis Ianuarii hora I post meridiem celebrabuntur, in quibus communem laetitiam oratio ab eloquentiae professore Friderico Blassio patrio sermone habenda interpretabitur.

His sollemnibus ut prompto lubentique animo interesse velint, eo quo par est obsequio atque observantia HENRICVM Principem domus Borussiae generosissimum, academiae nostrae faventissimum, magistratus Imperatorios Regios perillustres et civiles et militares, magistratus urbicos summe colendos, sacrorum antistites maxume reverendos, gymnasii scholaeque realis superioris praeceptores honoratissimos nec non viros spectatissimos ornatissimosque qui aliquo officii vel studiorum vinculo cum universitate nostra coniuncti sunt, denique urbis incolas et quicunque patriae nostrae favent cupiuntque, rogatos invitatos esse volunt Rector et Consistorium academicum universitatis Kiliensis.

Dabamus Kiliae Holsatorum die XII. mensis Ianuarii MDCCCLXXXXII.


UNIVERSITY OF MICHIGAN


UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 02200 0817